


Ursin de Rivo, Wilhelmus

# Guilelmi Ursino de Rivo vindiciæ pro capite regis Angliæ contra ...



Tryck // / I25 B II c Br. 1649

Tillkomstår 1649

Digitaliserad år 2019



National Library  
of Sweden

*Ursin de Rivo*

*Hist.  
Eng  
Polit  
(Br)  
1649*

GVILIELMI VRSINO DE RIVO  
VINDICIÆ

*Pro capite Regis Angliæ contra Rebelles parricidas.*

SIVE

QVERELA NVLLITATIS

DE IMPIO ET INJVSTO PROCESSV  
AC SENTENTIA

MORTIS ET ABDICATIONIS

CONTRA

SERENISSIMVM ATQVE POTENTISSIMVM

CAROLVM

PRIMVM

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ  
REGEM, REGIAMQVE STIRPEM,

AD

CHRISTIANI ORBIS MONARCHAS ET PROCERES:

Cum adhortatione

*Ut legitimo Hæredi ad vindicandas has injurias  
ultrice manu suppetias ferant.*

SCIENTIA

HAGÆ-COMITIS,


Ex Officina SAMUELIS BROUN Bibliopolæ Anglici.

M. DC. XLIX.

FR

*J. Wohlman*





A V T H O R

*Quà par est humilitate & reverentiâ*

*AD REGEM*

FIDEI DEFENSOREM

C A R O L V M

S E C V N D V M

SOLA DEI GRATIA,

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ

ET HIBERNIÆ

*MONARCHAM.*

**M**Aledictum illud Anglorum  
parricidium, immensum illud  
scelus, execrabilis illa sacri  
capitis violatio dolore gravissimo

A 2

etiam

etiam extraneas pungit gentes, uni-  
versa hominum pietas gemit, luget.  
Ego homo Germanus vel ex minima  
ejus recordatione eoúsque in parrici-  
das in scelerata ista Satanæ organa  
commoveor, ut gemitus non rarò  
exsecrationibus misceam. En vide  
hic, Serenissime Rex, publicum lu-  
ctus atque doloris testimonium: ma-  
gna me spes fovet Majestatem ve-  
stram hos qualescunque conatus cle-  
menti affectu accepturam: Habe-  
bo illud summi beneficii loco, eam-  
que clementiam, ubi ubi se vires  
dabunt humiliter demereri cona-  
bor, qui nihil magis in votis ha-  
beo, quàm ut Majestati vestræ cun-  
cta ad votum eant, ut tandem ali-  
quando à populo suo nunc Rebel-  
lium tyrannide miserrimè oppresso  
mille plausibus eam exaudiat vo-  
cem,

cem, quâ olim Alexandro Severo  
Imperatori acclamatum fuit; *Dii te  
nobis dederunt, Dii seruent: fœlices nos,  
fœlicem rempublicam, te habemus, omnia  
habemus, valeas, vincas, multis annis im-  
peres.* Serenissime Rex, hoc uni-  
cum voti mei caput est, vale, vince  
multis annis impera.

G. B.

---


A 3

GV I.

can. qui olim Alexandro Severo  
Imperatoris actum fuit: Dicit  
nobis deherant, Disperant: felices nos  
felices respicient, te habent, omnia  
habent, talia, omnia, nulla cum in-  
perat. Severissime Rex, hoc uni-  
cum votum caput est, vale, vince  
nullis annis imperat.

G. B.

A. B.



GVILIELMI VRSINO

DE RIVO

VINDICIÆ

*Pro capite Regis Angliæ contra*

*Rebelles parricidas :*

SIVE

*Querela nullitatis de impio & injusto*

*processu ac sententiâ mortis & abdicationis*

CONTRA

REGEM ANGLIÆ,

REGIAM QVE STIRPEM

AD CHRISTIANI ORBIS MONARCHAS

ET PROCERES,

SACRATISSIME,

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

IMPERATOR

REGES, ELECTORES, PRINCIPES, CÆTERIQVE

REIPUBLICÆ CHRISTIANÆ PROCERES.

**D**Ate veniam nostris ausibus, publica res agitur, rei tanti ponderis, tanti momenti, ut veniam promereri posse confidamus: Vniverso imperantium ordini, imò toti humanæ societati nuper facta contumelia undique vindictam postulat, undique ad arma concitat: Concitamur ad arma nostra etiam togati: & stylo & pilo pugnandum est.

Nihil

Nihil enim nunc amolius est sacrosanctum, nihil inviolabile, ne quidem ipsa divinitus sacrata capita. Novum atq; inauditum facinus! Serenissimus & Potentissimus Princeps CAROLVS ejus nominis primus, per DEI gratiam Magnæ Britannia, Francia & Hibernia Rex, Christianæ fidei defensor, inclytus, pius, justus, & pacificus Princeps à subditorum suorum scelerata quadam turba sacrilega securi percussus (eheu!) mortem passus est.

Obstupescimus, stant comæ, horrent artus: Justitiæ & veritatis Zelus atque Christianæ charitatis officium, cujuslibet ordinis ac dignitatis, adeoque & reipublicæ literariæ cives invitant, hortantur, imò cogunt, ut quisque pro modo facultatum suarum execrabile hoc factum vindicet, eoque quo dignum est notet calculo. Res itaque ab ovo, quod ajunt, repetenda.

SPECIES  
FACTI.

Quos jam annos aliquot intestinos in Anglia motus excitarunt factales istæ Regem inter & Parliamentum disensiones, horum quidem fama omnem dubio procul terræ angulum pervagata est, sed verò malorum causæ, & quis revera esset controversiæ status non utique exteris, imò ne Indigenis quidem ab innitio satis innotuit: Dolosis Parliamentariorum technis multorum tum quidem animis ea irrepserat opinio, injustam & inquam esse Regis causam: Quod de fide Christiana secundum Religionis Reformatæ Dogmata malè sentiret: Quod eandem ritibus Papalibus opprimere niteretur: Quod Parliamentorum privilegia, ipsumque reipublicæ statum evertere laboraret; & si quæ sunt alia quibus tum subditorum animi ad vertiginem usque sunt inebriati: Qui à Rege stabant contrarium opinati Adversarios arguebant, non religionis sed regionis causam agitari, specioso religionis tegmine Regiæ Majestatis jura appeti, legitimo jugo obsequium recusari, effrenem ac injustam libertatem quæri: Quæ quàm vera fuerit opinio eventus docuit.

Interim res in apertas prorumpit turbas. Parliamentum securitatis prætextu primò corporis sui custodiam coëgit, quæ deinceps crevit in exercitum, nam Plebs tumultuaria undique coit: Regem Londino de sede sua discedere cogunt imminetia pericula: Partes utrinque ad arma ruunt, hostili impetu sæpius occurritur, magna aliquoties utrinque fit strages, & dubio aliquamdiu Marte pugnatum est, donec Rebellium indies adauctis viribus Rex impar, retrahere pedem cogeretur, tandemque ad eas res ipsius pervenit angustias, ut Scotiæ suæ fines peteret, majorem ibi à suis subditis reverentiam, majus obsequium exspectans: Sed spe ista falsus re ipsa comperiit, Scotis sterlingorum aliquot myriades Rege suo esse cariores; cum Anglis, magnâ prius pecuniæ vi numeratâ, de tradendo

tradendo Rege paciscuntur [a] iis tamen legibus, ut simul atque pax Angliæ reddita esset, Rex suo redderetur regno, suæ dignitati, suo splendori [b] neque intereà quicquam fieret, aut fieri permetteretur quod regiam personam lædere, ullove præjudicio vel injuria afficere posset.

Dicitur est elaborandæ pacis locus in Holdenby, quò in hunc finem deductus est Rex jam Captivus: Cœptum ibi pacis negotium, verùm ejusmodi conditionibus, quibus annuere Rex salvo honore non potuit, quod Majestati suæ avita jura demerent, præterque nomen Regium vix quicquam ulterius relinqueretur, idcirco eam ignominiosam detentionem huic injustæ paci prætulit, eâ spe nixus, fore, ut patientiâ suâ ad æquiora aliquando impellerentur Proceres. Tandem anno proximo, cum dolosis Independentium artibus in Vectem Insulam delatus esset, ibique detineretur, eò res devenit, ut de personali pacis tractatu utrinque conventum esset; mittuntur in Insulam Commissarii, ac tandem divinâ favente gratiâ, eoque transactum fuit, ut nihil amplius videretur reliquum, quàm ut populus intestinis motibus miserè afflictus, tractatus illius fructus reipsâ sentiret, hoc est, cum pace multùm desiderata, suum quoque reciperet tam anxie desideratum Regem.

At verò quàm nihil in humanis stabile est? quàm celeri turbine fatavolvuntur? Contrarius huic voto eventus dolendam humanæ fortis inconstantiam docuit: Parliamentarii exercitus Duces & Præfecti, cæteraque militum turba intelligentes quid inter Regem atque Proceres ageretur, sui muneris oblii in alienam messem falcem suam immittere non verentur; Manifestis variis, quid de Republica itemque de religione statutum velint, declarant: Regem ipsum, (O scelestos!) capitalem suum vocant hostem, ac demùm eò audaciæ provecti sunt, ut illum eriperent potestati Dominorum suorum, quibus juratam fidem & obsequium debebant, aliosque ad carceres translatum, suæ manciparent captivitati. Londinum dehinc toto agmine profecti, urbeque occupatâ, Inferioris Parlamenti Curia prætorianas cohortes à custodia pellunt, multos ejus Curia proceres in vincula conjiciunt, plurimos ab ingressu armatâ manu arcent, non nisi paucos concilium ingredi permittentes, quos funeste suo molimini idoneos confidebant; Proceribus Superioris Curia, quæ Principum & Baronum est, ejusmodi conatibus adeò perterritis ut consuetos pro Republica conventus non

B

utique

[a] Anno 1647. [b] Commissarii Scotorum in protestationibus suis ad Curiam inferiorem, de dato Coventgardem 6. Jan. 1649.

10 *Vindiciæ pro capite R. Angliæ*

utique tutos esse putarent. Trecenta circiter inferioris Curia membra à negotiis comitialibus prohibentur.

Hoc itaque rerum statu, summa omnium potestas militum ferocia succubuit, sed ne eam temerè usurpare viderentur, ad nutum illorum à mutilato isto inferioris Curia Parlamento res geruntur: Constituitur novum Tribunal, vel ut illi vocabant, suprema Justitia Curia, cum absoluta in captivum Regem Jurisdictione, ut quidem prætendebant; delegantur Judices partim ex prædictis mutilati Parlamenti reliquiis, ex militibus partim, partim ex aliis, quorum omnium nomina ad centum quadraginta & unum publicè circumferuntur; Ipsi exercitus Duci, homini quem hac tempestate famosè ubique fecit summa infamia, Thomæ Faïrefaci, vel potius Ferrifaci, ejusque geminis, præcipua expediendi negotii demandata est cura.

Scotorum Commissarii principalium suorum expresso mandato contra execrabiles hos conatus enixè protestati sunt, quod omnia pacta, fœdera, confociationes regnorum, ac toties juratam fidem violarent, cum inevitabili omnium malorum ac miseriarum periculo, quod exinde utrique populo certissimè immineret. Srenuè etiam sese illis opponunt Reverendi Ecclesiarum Pastores viri prudentes & pientissimi, nefaria ista cœpta literis æque ac verbis damnant & execrantur: Quadraginta & plurium Ministrorum Londinensium nomina Præfato Duci ejusque affeclis eum in finem tradita est epistola, quâ illorum flagitia & transgressiones arguunt, ad resipiscentiam hortantur: Clarius esse meridiano sole, quod nullo titulo vel prætextu legitimæ potestatis, solis confisi viribus contra divina humanaque jura publicam authoritatem violent, in Parliamento æquè ac in Regem flagitiosè insurgentes, Rempublicam malitiosè evertentes. Nec eorum defuerunt pia studia, conatus & molimina qui per vim exclusi, suis nihilominus consiliis, quantum quidem ejus fieri posset, imminentis mali periculum avertere laborarunt. Horum unus Guilielmus Prynne, egregium probitatis ac prudentiæ dedit specimèn in *memento suo* sive literis dehortatoriis ad Curia inferioris reliquias, vel ut ille vocat, non Parliamentarem quorundam Procerum conjunctionem.

Sed surdis fabula narratur; altero statim die quo Londinum deductus est Rex Captivus, sistitur novo huic judicio, vel verius tyrannico Latronum cœrui, accusationes instituuntur, congeruntur hinc & inde crimina, Cerdonum, Aurigarum, Cauponum testimonia audiuntur, imò Latrinarum & Caminorum purgatoribus, ut quidem fama tulit, habetur fides. Rex Tyrannus, homicida, perduellis

## Contra Rebelles parricidas.

II

ac hostis publicus audit; ast ille objectis respondere renuit, oppositâ exceptione declinatoria fori contra incompetens hoc iudicium, iudicesque illegitimos & incompetentes, quibus ne quidem in infimâ plebis hominem, nedum in Regem esset iurisdictio, imò vel saltem simplex de crimine cognitio. Paulò post cum denuò sisteretur, rogatus ut objectis criminibus responderet, eandem regessit exceptionem. Remissus itaque altero die post denuò sistitur, sed ille exceptioni suâ inhærens Contumax ac Iustitiæ contemptor iudicatus est, ideoque denunciatum ipsi, die lunæ proximo Iudices dicturos sententiam: Differtur tamen pronuntiatio in diem Saturni proximè sequentem, qui fuit Februarii sextus; quo tandem die, cum in iudicium protraheretur, multis quidem rationibus prioribus exceptioni insisteret, sed frustraneus fuit ille labor, neque ulterius concessa est audientia, nisi accusationibus forte quid opponeretur, enixè tamen Rex petebat, ut, ante quam diceretur sententia, liberum esset in conclavi picto, ut vocant, coram utriusque Curiaë proceribus ea exponere, quæ ad Pacem publicam atque subditorum libertatem tantum facere credebatur, ut omnino operæ precium esset ea intelligere: sed responsum tulit, non nisi iurisdictiois evitandæ causa hoc peti: Replicat ille, non tantum sui ipsius, sed & publicæ salutis rem agi; quod si voto suo annuissent se non dubitare quin populo suo satisfecisset in omnibus, instanter obtestatus, ut rem istam semel adhuc sic perpendant ac de ea iudicent, prout ipsi in magno illo extremi iudicii die à supremo omnium iudice exoptant iudicari: Verùm eò nihil minus factum est, admonito postremâ vice Captivo Rege, si nihil ulterius habeat ad sui defensionem, paratos esse Iudices ad pronuntiandam sententiam: Mox cum nihil ampliùs peteretur, quàm ut acta consignentur, verbosus Iudicii Præses, infusus blatero multis nugis ac teterrimis mendaciis sententiæ summam exponit, cumque tandem mentiando atque nugando defatigata esset maledica lingua, recitatur è scripto hujus argumenti sententia:

Postquam Angliæ populus in Parlamento congregatus supremam iustitiæ Curiam constituerat cum absoluta iudicandi potestate in causa contra Carolum Stuartum Angliæ Regem, atque ipse Rex Carolus coram ea Curia tribus vicibus fuerat examinatus & prima vice nomine Regni Angliæ lecta erat accusatio de perduellione aliisque criminibus, atque prædictus Carolus Stuartus rogatus fuerat, ut ad eam responderet, ipse verò respondere continuo recusaret, hanc propter perduellionem atque delicta supremam illam Curiam prædictum Carolum Stuardum tanquam Tyrannum, perduellem, La-

12 *Vindicæ pro capite R. Angliæ.*

tronem atq; hostem publicum morte condemnare capite ejus à corpore separato.

Executioni dictus est nonus Februarii dies, qui Martis erat, quo ingenti militum manu in agonem deductus Rex, habitâ prius ad circumstantes proluxâ oratione, stupenda fortitudine & patientia Carnificibus, quorum unus vulgò Meester Peters dictus antehac Roterdami in Batavia Ecclesiæ Anglicanæ Minister, alter prius faber ærarius, postea Legionis Præfectus fuit, qui vel sorte vel sua sponte sacri cruoris siti stimulati, hoc muneris acceperant, caput amputandum præbuit, quod ab alterutro horum uno ictu detruncatum est.

Acceperat eodem die è manu Doctoris Juxonii Episcopi Londinensis sanctissima Crucifixi Servatoris symbola, cumque in locum huic mactationi destinatum pervenisset, toto vultu in cælum conversus indicium dedit ejus loci ad quem mox migraturus esset. Dehinc Deum veritatis fontem testem suæ innocentie invocavit: Quod intestina bella in Parliamentum suum ipse non moverit: Quod nunquam vel minimum ei privilegium adimere tentaverit: Ipsos Parliamenti Proceres morum ac malorum primos esse authores, ipsos belli militiaeque jura, nihilominus quod ea Regi competere professi sunt, affectasse: si utriusque partis patentes literæ vel commissiones scribendi armandique militis examinentur, manifestum fore unde primum belli initium. De Adversariis suis summam hoc prorulit judicium, eos, quantum ex omnibus illorum conatibus arguere licuit, injusto inhiare quæstui; desistendum esse ab ejusmodi molimine, si superna velint benedictione frui, reddenda esse Deo, quæ Dei sunt, Regi quæ sunt Regis, hoc est, successoribus suis eam, quam illis divina humanaque jura dant Regni hæreditatem: Vt Deo sua redderentur, solícite commendavit Ecclesiam multis jam erroribus ac schismatibus oppressam, hanc ad indubitatam sacræ Scripturæ Cynosuram à sectis & erroribus repurgandam esse & reformandâ, eum in finem Synodi convocatione magnoperè hortatus est; protestatur insuper se subditorum suorum libertatem quam in salutari regimine secundum leges & mores Patrios consistere dixit, præ cæteris semper desiderasse, adeo ut eam unicam ob causam præfens sibi incumbat necessitas: Nam si in legum subversionem ad effrenatum militis arbitrium consensisset, in eum non fuisset deductus locus. Condonavit ex animo inimicis suis hanc injuriam; Imò etiam Divum Stephanum Christianorum Protomartyrem imitatus hic Regum Protomartyr, Deum aliquoties pro illis supplicavit, ne peccata hæc iis imputetur. Tandem ab Episcopo interrogatus numne de Religione dicendum quid haberet, palam professus est, se in salutifera Christiana fide secundum reformatæ religionis canonem ex hac vita migraturum, ubique

ubique testatus firmissimam de innocentia sua causæque Justitia confidentiam, indubitatum de misericordia divina suaq; salute spem.

Mox à perpetrato parricidio per universam urbem omnesq; Regni Provincias publico edicto sub poena capitis cautum est, ne quis occisi Regis Filium Primogenitum Walliæ Principem, aliumve successionis, electionis aut alio aliquo prætextu proclamet, aliove modo declaret Angliæ Hiberniæque Regem citra Parliamenti consensum. Interim convertendæ Reipublicæ opus aggressi sunt, qui hæctenus pro conservando statu atque fundamentalibus Regni legibus admirabiliter solliciti videbantur: Rejctis Regiis sigillis atque titulis, decretum est atque conclusum, Reipublicæ Anglicanæ Officium Regis inutile imò noxium esse: Idem de Curia Baronum, sive de superiore Parliamenti Domo judicatum: certus personarum numerus ad Reipublicam habenas deputati; Thomas Fairefax aliique exercitus Duces in Curiam inferiorem recipiuntur: Verbulo, miscentur suprema imis, divina pariter & humana jura evertuntur, flagitiorum atque injuriarum nihil non patratum est.

Nam, ut à militum gestis primordium fiat, Quis ea non reproba- DEMON-  
 bic! Quis ea summæ injustitiæ, impietatis ac perfidiæ non arguet? STRATIO  
 Quis non detestabitur? Nulla ipsis in Reipublicæ moderamine NVLLITA-  
 competit authoritas, nullæ illorum in temperando Regimine par- TIS ET  
 tes, nulla imperandi potestas, omnimodo parendi necessitas. A INIVSTI-  
 Parliamenti utriusque Proceribus ad suam & Regis incolumitatem TIAE.  
 conscripti sunt, armati sunt, horum fidei & obsequio arctissimo ju-  
 risjurandi vinculo adstricti sunt, ac præterea ex Divi Baptistæ præ-  
 cepto, nemini noxii, nemini molesti, stipendio suo contenti esse I.  
 tenentur. Quæ igitur hæc violentia est? quæ impietas? quæ per- RATIONE  
 fidia? muneris sui fines transgredi, Regem non modo in cujus sa- MILITUM.  
 lutem æquè juraverant, sed & ipsos Proceres Dominos suos ad quo-  
 rum conservationem immediatè conducti sunt, hostili manu inva-  
 dere, carceribus mancipare, vel, ut contigit plurimis, vi armata ab  
 Officio detinere, à Curia excludere. Certè si culpa est immiscere  
 se rei ad se non pertinenti, scelus erit, non tantum immiscere, sed  
 aliis per vim eripere, in totum sibi vindicare, summa impietas erit,  
 summa perfidia in Magistratum suum involare, in eum stringe-  
 re gladium à quo concessus est ad sui tutelam: Supplicium capitale  
 in eos constitutum est milites, qui Ducem suum in bello non pro-  
 texerint, [a] quid ergò statuendum in illos, qui non modò non pro-  
 texerunt, sed è contrario violentè oppresserunt, eos etiam quibus  
 B 3 ipse

[a] L. Omne delictum. ff. de re milit.

ipse Dux protectionem & obsequium debet? Cum aliquando Rex paucos quosdam in Parliamentum Deputatos Proceres sibi tradi postulasset, ac passi essent, qui eos per vim caperent, tam iniquus atque detestabilis judicatus est ille conatus, ut similis injuria in laesionem Parliamenti ac Reipublicæ detrimentum nunquam facta crederetur: Vnde tunc temporis [a] in inferiori Curia decretum est: Arrestationem sive violentam apprehensionem alicujus membri, cujus cujus etiam mandato fiat, citra ordinarium juris processum & assensum Curia cujus est membrum, libertati subditorum contrariam esse, indeq; Parliamenti privilegia manifestè violari: Quisquis autem ejusmodi apprehensionem tentaverit, eum Reipublicæ hostem esse judicandum. Ad eò tunc in malam partem acceptum est, si vel in unicam saltem Parliamenti perionam etiam à Summo Principe quid piam tentaretur; Si superior in inferiorem sibi què subditum manus injiceret. Quid ergò nunc judicandum de his, qui non in inferiorem, sed in Magistratum suum, à quo toti pendebant, involarunt, qui non unicum aliquod membrum, sed trecenta circiter violentè invaserunt, qui non tantum apprehenderunt, sed & multos capitali subjecerunt judicio? Si illud perduellionis crimen est, hujus, me Hercule, convenientem poenam in terris nemo definiet; Definiat ille, qui Coram, Dathan & Abiram cum suis geminis contra Moysen & Aaronem Legitimos Magistratus rebellantes, quos interducenti & plures populi primates erant, terræ hiatu absorpsit, [b] gloriæ suæ vindex Omnipotens.

Progredimur ad cæteros iniquitatis operarios, quorum de auctoritate Legitima, si altiori indagine inquiratur, patebit facile quàm nullus & injustus sit illorum processus, quàm nullum & injustum prætextum illud justitiæ tribunal ratione constituentis æquè ac ipsius constituiti. Nam eos quod attinet, qui novo huic & inusitato judicio absolutam in Regem jurisdictionem delegare ausi sunt, hi quod ipsi non habuere quo pacto concesserint alteri? Neque enim soli Curia inferiori, sed universo Parlamento ex ambabus Curiis combinato, quo universi Status sive Ordines Regni continentur, eam conferre jurisdictionem licuisset, dummodò conferri potuisset. Vbi enim inter duos divisa est potestas, citra mutuam utriusque conventionem exerceri haud magis potest, quàm ex una medietate constitui totum illud cujus est medietas. Quam istud ridiculum esset, si in hac Belgarum Republica una aliqua Provincia expedire præsumeret ea quæ ad universas pertinent? Vel si in Imperio Roma-

no

II.  
RATIONE  
PARLIA-  
MENTI.

I. Quia  
desuit su-  
perior Cu-  
ria.

[a] 17. Jan. 1641. [b] Num. 16, v. 3. & seqq.

no unà aliqua & quidem inferior Ordinum Classis gradu ac dignitate priori commune jus comitale eriperet, ac sibi uni in solidum vendicet? At verò Baronum Curia sive superius senaculum non modò ex æquo communem habet Parliamentarem potestatem, sed & ordine & dignitate prius est, in quod una cum summo Principe, Dynastæ trabeati, Archi-Episcopi, Episcopi, Duces, Marchiones, cæterique ejus dignitatis viri conveniunt, proprioque nomine & jure suffragia ferunt, cum in inferiori Curia Nobiles tantum & Plebei non suo sed Comitatum ac Civitatum conveniant nomine, ac alieno jure sententiam dicant haud ratam aut validam, nisi eorum intentioni congruat à quibus ad conventum sunt deputati. [a]

Hæc prima injustitiæ & nullitatis ratio: Quæ sequitur ejusdem vel etiam majoris est ponderis. Nam etiam si huic Curia in solidum Parliamentaris competeret potestas, nihilo tamen minùs justa & legitima sunt, quæcunque ab ea acta, decreta, & conclusa sunt, postquam à tumultuario exercitu Præfatus Deputatorum numerus vel captus, vel saltem à conventu impeditus est; causas quærere dementis ac stolidi esset, quum vel Davus intelligere possit, Curiam istam potissimis suis membris mutilatam esse, ac præterea violenti exercitus effrenatæ libidini mancipatam: horum quodque nulli atque iriti actus causas adfert gravissimas.

Nam quoad primum, aliquot seculorum decursu continuis moribus observatum est, eam Parliamenti Curiam nonnisi omnibus suis membris integram negotia expedire, sin verò integra, ne quidem ullam haberi sessionem, mulò minùs deliberationem, nedum Decretum; Verùm eo casu semper suspensum esse conventum, donec deficientibus membris redintegratus atque liber esset; quod multis allegationibus & actis demonstravit, quem supra tetigimus Guilielmus Prynne unus è proceribus exclusis, in *memento suo* ad non exclusas Curia reliquias, adducens superioris Curia declarationem sub Henrico ejus nominis tertio Rege in conventu ante quatuor ferè secula celebrato [b] quâ decretum est, Magnæ Chartæ contrarium esse, si absentibus quibusdam membris à reliquis sessio fiat, & negotia tractentur.

Quoad alterum, notissimi juris est, nec minùs usitata consuetudinis, quæ per vim fiunt in privatis, exceptione, quod vi aut metus causa, rescindi, in publicis ipso jure nulla & irrita esse; [c] Vnde illud Juris-Consultorum axioma: Quod non debeant ea, quæ tempore

Quia potissimis membris mutilatum fuit.

3. Quia militum violentiæ succumbit.

[a] Thom. Smith de Repub. Angl. lib. 2. cap. 2. [b] Anno 1257. [c] L. 1. §. 1. ff. de C. quod vi aut met.

pore Guerræ aut casu aliter fiunt, pro exigentia temporum alterare naturam rei. [a] Item per vim illatum metum non purgatum censerî, quamdiu is, cui illatus fuit, non est in plena libertate positus. [b] Hinc aliquoties revocatæ irritæque judicatæ sunt per vim extortæ resolutiones & decreta, quemadmodum factum scimus in diversis Parliamentis temporibus Richardi II. & Henricorum Quarti, Sexti & Septimi Angliæ Regum, & nuper ante biennium, cum ad ipsius exercitus instantiam & Remonstracionem [c] ab utraque Curia Ordinatum & conclusum fuit: [d] Quoniam manifesta & inaudita vis illata fuit utrique Parliamenti Curia, aded ut Oratores, itemque Proceres aliqui ab usitato congressu abstinere cogentur, hanc ob causam præsentî decreto nullas ac irritas esse Ordinationes, Resolutiones, & quicquid interea temporis violenter extortum fuerit. Quæ cum illis casibus ita observata sint, hoc sanè multò magis observari debent, quandoquidem priores atrocitate sic superat posterior violentia, ut consimile non habeat exemplum: Cum enim ante biennium vis fieret, nulli tunc Deputatorum in vincula conjecti, nulli armatâ manu ab officio repulsi, sed qui tunc aberant periculi metu percussi à munere suo sponte aliquantisper abstinuerunt.

4. Quia legibus est iurejurando prohibetur quicquam tentare in detrimentum Regis.

At verò removeantur hæc vitia: ponamus quicquid actum est, utriusque Curia autoritate mutuæque, ut debet, conventionem conclusum esse, Curiam suis membris mutilam non esse, militem vim nullam intulisse; eo tamen nihil minùs prætentum illud tribunal, cum tali in Regem potestate constituere non potuerunt. Agitedum; audite rationes: Obstant partim Regni Leges, partim fœdera ac juratæ promissiones hinc inde in salutem Regis factæ. Notissima Regni Lex est Eduardi II. Statuto comprobata; quâ perduellionis rei judicantur quicumque depositionem Regis, ejusdemve aut primogeniti hæredis mortem tentaverit, licet conatus ad effectum nondum pervenerit. [e] Notum quoque Jusjurandum est de incolumitate Regis à Parliamenti Proceribus præstandum, prius enim quàm in Curiam admittuntur ingenuè & ex animo profitentur, testantur atque declarant coram Deo & universo terrarum Orbe, summum atque absolutum Dominum suum Carolum justum & legitimum Angliæ aliarumque terrarum Regem esse, præterea nec

Pon-

[a] *Gylman. ex Panormit. in symphorem. suppl. part. I. tit. 2.* [b] *C. accedamus. extra de Procurat.* [c] *De date 18. Augusti.* [d] *In Ordinari. die Veneris 20. Augusti 1647.* [e] *Dicti. Guiliel. Prynne ex Stampfort placit Coron. lib. 1. cap. 1. 2.*

Pontificem Romanum vel per se, vel autoritate Ecclesiastica, aliove titulo, nec alium quempiam ullam habere potestatem deponendi Regem, ullamve autoritatem disponendi de dominiis ejus, vel subditorum aliquem à fide & obsequio ejus liberandi, veniamve horum alicui concedendi, quâ in ejus personam, Statum aut Imperium quantulumcunque tentare liceat: Porrò non obstante aliqua Pontificis sententia declaratoria in contrarium, ipsos Proceres fidem & obsequium Regiæ Majestati ejusque hæredibus ac posteris præstituros: Se totis viribus eandem Majestatem una cum hæredibus protecturos contra quascunque machinationes vel conspirationes, quocunque titulo vel prætextu initas in perniciem aut injuriam Regis vel Hæredum. Jurant deinceps, se detestari & abhorreere tanquam impium & execrabile istud quorundam thema: Quod subditis impune liceat Principes suos à Pontifice anathematis fulmine percussos abdicare & occidere.

Præterea jãdudum innotuit [a] vel in alterutra, vel etiam in utraq; 5. Quia Parlamento Curia Proceres motibus hisce primùm exardētibus, plus suis protestationibus, declarationibus, supplicationibus, aliisque actis publicis, & Regi, & Regno atque vicinis Imperiis, imò & faderibus jurato universò mundo sanctè promississe ab animo suo tam esse alienum, quàm quod alienissimum est, Regiæ Majestatis Personæ, dignitati & promissis autoritati vel minimam afferre injuriam, aut detrimentum, verum conservacionem Regis. se illi ejusque hæredibus majorem reverentiam, fidem & obsequium præstare, quàm ulli præcedentium Regum à suis consecuti sunt subditis: Nunquam alium sibi propositum esse scopum præter hunc unicum; ut Majestati suæ debitum obedientiæ & subjectionis exsolvantur officium: Quasvis populo imperatas contributiones & collectas impendendas esse ad solam Reformatæ Religionis, Regiæ Personæ, autoritatis, dignitatis, Legum Regni, Pacis Publicæ ac Privilegiorum Parlamento tutelam atque conservationem: In unicum hunc finem conscriptum esse militem: Personam Regis sibi cariorem esse propriâ suorum vitâ & fortunâ, quam in illius securitatem lubenter offerre parati sint: Parlamento hanc perpetuò incumbere curam, ut quodvis periculum à Majestate sua arceatur, & si quæ sint alia subjectionis & obsequii probandi testimonia. Et cum aliquando Curiarum Proceres ab Adversariis suis essent accusati, quod potestatem deponendi Regem sibi arrogarent, quod eam liberè citra ullam reprehensionem exercere possent, quodque in necem ipsius Regis exercitum armaverint: Quàm tunc exire in contrarium pro-

C

telitati

[a] Idem Prynne in memento suo art. 3.

testati sunt; solemnè declaratione aliquoties hæc tanquam falsissima convitia refellunt, addentes insuper, quemadmodum cogitationum suarum testis est Deus, ita actiones suas toti mundo testes fore, quod Religionis causa, eorumque gratiâ qui hujus Zelo plurimum flagrant, à Principe suo plus perferre parati sint, quàm sperant futurum, ut Deus unquam pravis consultiõibus sit permissurus, quum publica salus Regni hujus Regiæ stirpis autoritate unicè nitatur: Novimus deinceps utriusque Curiæ protestationem post electionem Comitum de Essex in exercitus Ducem, quâ coram Omnipotente Deo Regis conservationem atque securitatem sanctè pollicentur, prout postmodum etiam Thoma Faireface Duce sapius sunt protestati, qui ipse Fairefax, cum Rex à Scotis traderetur, crucifixi Christi Sacramento eam promissionem confirmavit. Notabilis quoque illa Ordinum universorum est protestatio [a] quâ Deo ter Opt. Max. in testem implorato ad liberandas conscientias suas, munerisque concrediti rectè obeundi causâ coram Regni populo & toto Orbe profitentur, se haudquaquam proprio motu vel privati emolumentis causa, nec pravo aliquo molimine in Regis Personam, dignitatem autoritatemve aut potestatem legitimam ad arma compulsos esse: Quæ tandem omnia secutum est, Procerum utriusque Domus inter sese, atque deinceps inter Scotiæ ac Hiberniæ Ordines solemne fœdus in Regis ejusdemque Hæredum gloriam atque salutem, [b] ubi inter alia conventum & conclusum est; sese totis viribus candidè, sincerè, fideliter ac constanter allaboraturos Regiæ Personæ & autoritatis conservationem atque protectionem, ut ab universo Orbe fidelitatis & obedientiæ suæ testimonium habere possint: Præterea nunquam sibi in mentem incidisse, ut Majestatis ejus legitimæ potestati atque amplitudini quicquam detraherent: nunquam sese directè vel indirectè permissuros, ut aliquovis conspirationis, societatis, vel ullo persuasionis metu sive prætextu à sancto hoc fœdere, quod ad Dei gloriam, Regni prosperitatem, atque dignitatem Regis quàm maximè conducit, detrahantur: Hisce tandem verbis concludunt: Fœdus hoc inimus in præsentia Cunctipotentis ac summi rerum omnium moderatoris, qui certissimus est Cardiognostes, firmissimâ hac intentione ut illud sic servemus, quemadmodum de eo rationem reddituri sumus in extremo magni illius judicii die, quo arcana animorum omnium publica fient.

Sed

[a] De dato 22. Octob. 1642. [b] Idem Prynnè art. 5.

Sed quàm enormiter, quàm flagitiosè peccatum est contra hanc Regni Legem, contra usitatum hoc Jusjurandum? Quàm malitiosè, quàm perfidè data fides violata? Quàm turpiter sanctum illud fœdus temeratum? O perfidiam! O perjurium! Quam temerè igitur, quàm injuste & iniquè tribunal illud constituerint tumultuarii exercitus adultores & mancipia, perfidæ istæ mutilati Parlamenti reliquix, nemo tam stupidus est qui non percipiat.

Eadem in ipso constituto apparebit nullitas, eadem iniquitas, eadem injustitia: eodem quo constituentes etiam constitutos sive delegatos Judices calculo notabimus. Nam si illorum spectemus qualitates, omnes ferè ejus conditionis esse depræhendemus, ut indigni sint, qui vel in minimum aliquem primariæ nobilitatis civem, qui superioris Curix membrum sit Jurisdictionem exercent. Per multa enim secula Regni moribus ac legibus confirmatum illud majorum gentium Nobilium beneficium est: [a] Si quisquam Ducum aut Baronum in Parlamento locum occupantium dignitatem adeptus, Læsæ Majestatis aut Criminis capitalis infimuletur, ut æqualem pariumque suorum sententia judicetur, hoc est, ut cogatur è Nobilibus inquisitio, quorum quisque ut sit in Parlamento sententias pro se dicit. Quemadmodum olim Senatores in veteri Republica Romanorum non nisi Senatores habuere Judices [b] Et in Francia Pares coram Paribus conveniuntur. [c] Itemque in Regno Neapolitano Comites & Barones in criminalibus nonnisi per Pares Curix judicantur. [d] Quo igitur Jure Regem, Summum Principem judicare potuit Tabacopolis & Cerdonibus permixta hominum turba, quæ Regni Legibus vel Baronem judicare prohibetur? Tritum est illud Juris-Consultorum, quod magnæ & arduæ causæ magnos requirunt Judices: [e] Vnde semper graviora negotia ad summum Magistratum, qui Judicum Judex est, referri solent, quemadmodum Feudorum moribus invaluit, ut, si inter Capitaneos tanquam majores Vasallos controversia esset, coram Rege lis sit terminanda. [f] Sed quàm magnos hîc spectamus Judices in causa tam magna, tam ardua, in negotio hoc gravissimo, quo omnium vita & salus tenui suspenditur filo, quo & Legis, & Gregis res agitur? Sanè ambigui sumus, an inter omnes dignissimus saltem Baronis titulo gaudeat: Hinc facile est de inferioribus judicium, eorum

III.

RATIONE  
JUDICVM.

1. Propter  
illorum sta-  
tum &  
qualitates.

C 2

certè

[a] Thom. Smith. de Repub. Angl. l. 2. cap. 28. [b] L. vit.

C. ubi Senator. vel Clariss. [c] Bodin. de Repub. lib. 6. cap. 4.

[d] Marian Frecc, Feud. Regal. n. 9. [e] L. non distinguimus.

ff. de recept. & arbit. [f] C. ult. in prin. de lege Corrad. 2. Feud. 34.

certè multos indignos scimus, qui Regi vel malluvium porrigant, imò indignos, qui ei sint à pedibus

Quod si generalia Judicium requisita, sine quibus hoc officio defungi leges vetant, ruminari volupe est, haud una occurret causa cur amplius adhuc prohibeantur. Generaliter ab hoc munere arcentur legum imperiti. [a] Nullus enim Judex benè judicabit, si leges ignoret quibus judicare debet: [b] Quia notitiam boni & æqui habere debet propter administrationem justitiæ, quæ est notitia separationis justii ab injusto: At vero ista notitia non aliunde quàm ex legibus petenda est.

Prohibentur etiam ex hoc fundamento inter alios milites, [c] Prohibentur Infames, [d] Itemque suspecti propter favorem vel odium in litigantes; & qui in propria causa judicaturi sunt. [e] Non admittendi denique egeni & exhausti, ære alieno oppressi, avari, ambitiosi. Egestas enim dum saturari quærit, facile à justitia declinat. [f] Et quemadmodum nimia abundantia homines vitiosos reddit, ita nimia paupertas avaritiæ & expilationis incentivum est. [g] Avaritia autem & cupiditate evertitur judicium humanum: Et avarus gratius intuetur auri molem quàm justitiæ solem.

2. Propter  
juris Imperiti-  
ritiam.

Verum in omnibus huic juri evidens facta est injuria; Plurimos nostrorum judicum eâ juris peritia non esse imbutos notum est, quæ in causa hac gravissima, in causa tanti ponderis, ut similem nunquam habuerit, apprimè desideratur, imò multos legum planè imperitos esse, extra dubium est.

3. Propter  
Militiam.

Magna quoque illorum pars milites sunt, Legionum potiùs quàm legum arte instructi, armis, inter quæ silent leges, enutriti; Quibus nihil tam inimicum est, quàm qui orium, qui Philosophiam, qui virtutes colit. [h] Qui hoc unice quærunt ut publica turbetur quies, ut spoliatorum, incendiatorum, cædium detur occasio ut omnia humana divina misceantur. His ergò committendum fuit promovendæ pacis negotium, restituendæ quietis cura? Prudenter scilicet lupi concreditum fuit ovium agmen.

4. Propter  
quorundam  
Infamiam.

Sed quid deinceps de illorum fama dicendum? Verissimum illud, me Hercule, est, ipsos nunc quidem ad unum omnes execrabili hoc facto per universum humanum genus summam atq; immortalem infamiam sibi irrogasse; An verò antea omnes illæ existimationis fuerint,

[a] Nov. 82. [b] Dom. Garf. *Mastril. de Magistrat. lib. 2. c. 3.* [c] *L. 17. C. de Judic.* [d] *L. 1. para. 5. ff. de postul.* [e] *L. un. C. ne quis in sua causa.* [f] *Ambr. 1. ad Thessalon. 5.* [g] *Am. de Guevar. in. H. P. c. 6. n. 476.* [h] *Bodin de Repub. lib. 5. cap. 5.*

fuerint, hoc meritò in dubium vocamus, nam à fide dignis accepimus, Wageningæ apud Geldros in arcu isto triumphali, cujus in limine pertranseuntés Nebulones atque Fures plerumque cervicibus suis ita solent irretiri, ut se expedire difficillimum sit, in eo nimirum arcu, cujusdam illorum Judicum venerabile nomen probitatis ac virtutis ergò scilicet, magnificè splendere, utrum verò hic plures ejusdem notæ collegas habuerit nondum innouit.

Suspectos arguere nihil laboris erit, quum præcipui eorum, milites nimirum, à quorum res tota pendebat arbitrio, in suis remonstratationum nugis atque ineptiis Regem hostem suum capitalem appellarent: Reliquos præter milites Imperii Monarchici infensissimos esse hostes jam certò didicimus. Actum est de te, quicumque talem habes Judicem, qui te palam capitali odio prosequitur, qui aduersarii tui causam suam fecit, qui conditioni tuæ infestus est, adeoque in propria causa iudicaturus; Imò qui ipse actor, qui ipse accusator est.

Si denique in fortunas illorum convertamus oculos, quum multi hæcenus summâ egestate laborarint, nominatim verò is, qui Præfidis officio functus, ditatus vulgò mendicus audit, multi aded ære alieno oppressi, ut antehac bonis suis cesserint, reipsa illud Mantuani verum deprehendemus: Pauperies inimica bonis est moribus: Omne labitur in vitium, culpæ scelerumque ministra est. Nam secundum Theognidis sententiam paupertatem omni modo fugientes, non tam rationem muneris sui, quàm magnitudinem munerum considerarunt, & libentius in nummorum, quàm in argumentorum ponderibus expendendis occupati fuerunt. Et quum plerique infimæ fortis & obscuri generis sint homines, quis dubitabit, quin rem acu tetigerit noster Rex Martyr, multorum conatus esse, ut è servis fiant Domini?

In ipso processu ordine obiter notandum est, id beneficii denegatum fuisse Regi, quod Jure gentium denegandum est nemini, quod vel de gleba homo privari non debet. Nimirum ex humana æquitate hoc cõmuniter constitutum est, ut, qui in jus vocatus est, exceptione declinatoriam, si putet se ad incompetentem Judicem vocari, opponere possit, quâ dicat se non teneri ad Actoris intentionem respondere propter fori incompetentiam. (a) Quæ exceptio præ omnibus auriæ fori.

C 3 eam

(a) Arg. l. 5. ff. de Judic. (b) Tot lit. C. si à non compet. Ind.

5. Propter odium in Regem, unde suspecti.

6. Propter egestatem & ambitionem.

7. Quia Regi denegarum est beneficium declinatorie fori.

eam sibi libertatem concedi, ut vel verbis, vel literis rationes ac fundamenta, quibus se probaturum confidebat illorum incompetentiam, palam proferre liceret, si forsan hac in parte erroneæ opinionis contrariis demonstrationibus convinceretur, lubentissimè se illorum authoritati submissurum pollicitus, neque tunc se defuturum in refellendis accusationibus: Verum enim verò non tantum non exaudiuntur ista exceptionis fundamenta, sed ne quidem ea vel ore tenus, vel in scripto proponere licuit ob continuas interpellationes, quamvis postea ex ipsius Regis autographo luci sint expositæ.

IV. Dum in his inauditæ & ineffabilis perfidiæ, iniquitatis & iniustitiæ procellis fluctuamus & jactamur, tantam ex indignatione patimur nauseam, ut vela libentissimè contraheremus, nisi suscepti muneris ratio ab opere medio desistere vetaret. Ejadum igitur transcundum est ad Personam Rei, cujus hic tum innocentia, tum exemptio à subditorum suorum judicio notanda est.

RAYONE  
REI PRO-  
PTER EIUS  
INNOCEN-  
TIAM ET  
ACCUSA-  
TIONVM  
FALSITA-  
TEM.

I. *Quia  
inidonei  
testes.*

Non defuere quidem accusationum gravissimarum acervi, sed è notoriis mendacis atque teterrimis calumniis cumulati; Primò enim, quod obiter de iis animadvertendum arbitramur, plurimis ejus generis hominum testimoniis munitæ sunt, qui ne quidem in privatis idonei testes, Personæ Vagabundæ, Infames, Stabularii, Plaustrarii, Cauponæ, Cerdones, ejusdemque farinæ homines, seditiosi, novitatis avidi, accusato infensi, adeoque veluti in causa propria testes, & alii multis rationibus suspecti, quos etiam in levi aliqua & privata causa à dicendo testimonio jura prohibent. [a] His itaque in publica tantique momenti causa, quâ totius Reipublicæ res agitur, fides habenda esset? Scilicet qualis Accusator & Judex, talis & testis. Illud præterea notandum, omnes illas accusationes atque attestationes novissimè post Pacis tractatum adinventas & institutas esse. Dementia enim & ignorantia summæ est privata adhibere testimonia, ubi publica, & quidem meridianâ luce clariora desiderantur, hoc est, ubi universus Populus, imò totus Orbis testis esse debet, privata sanè non nisi privata crimina arguere possunt, quid hæc ad subditos pertinent? Nihil, planè nihil his juris est animadvertendi in privatam sui Principis vitam.

Sed quoad illa crimina quibus salus publica læditur, quibus Reipublicæ Status evertitur, quibus subditis sua Privilegia, sua Jura adimuntur, quibus Princeps tyrannidis fit reus, quibus ut hostis publi-

[a] L. 3. 10. & 19. ff. de testib. l. 35. 6. C. cod. vid. Zas. in parat. de edend. num. 16.

publicus incusatur, ea, me Hercule, quum publicè committantur, quum oculis omnium exponantur, atque illorum fama non unam Provinciam, non Regnum, sed cœlum & universam terram pervagetur, publicum testimonium exigunt; totum Orbem ejusque Conditorum Deum Omnipotentem, Omni scium testem requirunt. Vbi verò tale vestrum testimonium scelesti? Vbi ille testis parricidæ? Quod si Regnorum Populos, si Christiani Orbis præcipuum moderatorem & arbitrum Imperatorem Romanum, ac reliquos Monarchas, Principes & Proceres, si singulas totius mundi gentes testes producatis, gnari eritis cujus conscientia vestra non est ignara, audietis Carolum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Regem in vita privata fuisse virum stupendæ virtutis, modestiæ, castitatis, pietatis, fuisse virum humanum, candidum & sincerum; In vita publica, in exercitio Regiæ suæ potestatis fuisse Principem justum, clementem, benignum, pacificum, nemini noxium, nullis infestum, nisi his qui sceleribus suis tale essent meriti. Fuisse Principem qui etiam inter civiles hosce motus nemini injuriam fecit, neminem nisi legitimo processu supplicio mortis multavit: [a] Principem boni publici atque subditorum salutis aded studiosum, aded sollicitum, ut nuper in ultimo Pacis tractatu propter Ecclesiæ, Religionis ac Regionis restitutionem atque prosperitatem, Parliamentorum Ordinibus adstipulatus sit, quæcunque salvo honore, æquitate & justitia ipsi petere potuissent, & quod ipsimet non infitentur, majorem ab eo Privilegiorum suorum securitatem impetraverint, quam hactenus antecessorum habuere nulli. [b] Talem fuisse intelligetis Carolum istum, Regem vestrum atque Dominum Legitimum, quem vos ut Tyrannum, Proditorem, Latronem atque hostem publicum damnastis, vos quovis Tyranno deteriores Tyrannisci, Proditores, Latrones & hostes Publici, cujus sacro cruore manus vestras simul & conscientias indelebili macula polluistis.

Reipsa hic veritati consonum depræhenditur, quod ex Aristotele scriptum reliquit inter Germanos non infimæ Classis publici Juris-Peritus Arniseus: [c] Olim cum fucatæ libertatis vana interpretatione homines sibi illuderent, in Tyrannorum illorum aliter referebant bonos quoscumque Principes, qui sæpè ultra hominum memoriam sine ullo sevitæ vestigio civitatibus præerant, eò quod Populum, ut aiebat Solon, servitio non liberabant, & democratiam ex Imperio unius facere recusabant. [d] Sic & hoc seculo quo

2. Quia falsè accusatus est Tyrannidis.

[a] William Prynne in Memento suo. art. 8. [b] Idem art. 10. [c] Rel. Pol. lib. 2. c. 3. sect. 6. [d] Aristot. 2. Pol. 10.

quo libertatem quidem modestius interpretari didicerunt homines, sed ex innata quadam lascivia, mutationibus præter modum delectantur, & ad rebellionem spectant, tyrannidis notam legitimis Principibus, ut primùm à regia via vel minimum defleant: Vnde fit ut tot immeriti Principes vel quotidie trucidentur, vel avitis patrimoniis excludantur sub specie excutiendæ tyrannidis. Continuo enim ut minus ex sententia subditorum præest Principum aliquis, non secus ac in perduellem quilibet in eum hostis invadit. Quàm convenienter hæc ad rem nostram! Cedò sodes, quid aliud hoc contingit casu, quàm quod justus & legitimus Princeps, qui ne minimum unquam à regia via deflexit, in tyrannorum album relatus est; Quod sub specie excutiendæ tyrannidis immeritus trucidatus est; Quodque legitimi successores ab avitis patrimoniis excluduntur? Atque hæc omnia sub vano fucata libertatis prætextu, quia scilicet democratiam ex Imperio unius facere recusavit, hoc est, quia non permisit Majestatis suæ divinis ac naturæ legibus competentia jura sibi eripi à scelerata quadam subditorum suorum turba, ex innata lascivia & novitatis pruritu ad detestabilem hanc rebellionem comitata.

*Quæ sit  
Tyrannidis  
natura &  
essentia.*

Res minus habebit dubii si tyrannidis naturam, si Tyrannorum essentiam inquiramus, manifestum erit, tantum distare maestatum Regem à Tyranno, quantum supremum cælum ab imâ distat terra: Eja discamus igitur, quid, & quibus ex causis sit Tyrannus.

Notandum principiò, quemadmodum minus est omittere virtutem, quàm operari vitium, ita minus esse Principem negligentem, quàm Tyrannum, adeoque tyrannidis naturam non consistere in omittendo, datur enim aliquid inter virtutem & vitium, quod neutrius rationi accedat, ex utriusque privatione exurgens. Hinc injuriam fieri illis tradunt publici Jurisprudentes quibus eripiuntur fasces ob negligentiam, licet supina & deliberata negligentia ad tyrannidem proximè accedat. Idem esto judicium de inutilitate & discordia: Vnde Regiæ Merovæorum Stirpi injuriam factam esse volunt, quod Regno Francorum multaretur, non tam pro suis iniquitatibus, quàm quod tantæ potestati esset inutilis, (a) Deinde Tyrannus non est, qui ex imbecillitate & defectu judicii peccat, unde Claudium Imperatorem stupidum magis quàm Tyrannum judicant.

Similiter nec privata vitia sufficiunt ad constituendam tyrannidem, ea enim committuntur à Principe quâ homo est, non qua Princeps; virtutibus quibusdam excellere potest, iis scilicet quæ  
huma-

(a) C. alius. 15. q. 6.

humano generi communes sunt, & sic esse vir bonus, qui tamen non sit bonus Princeps, quemadmodum è diverso bonus esse potest Princeps, vir vitæ flagitiosæ: Ratio hæc est, quod, quum Tyrannus in eodem genere opponi debeat Regi, in quo consistit illius virtus, in eodem genere quærendum sit ejus vitium, nimirum in administratione Reipublicæ. Hinc evidens est Intemperantes à Tyrannorum albo excludi, nam sicuti Rex non definitur per temperantiam, ita Tyrannus non erit per intemperantiam definiendus. Audiamus quid de Trajano censeat Dion. [a] Trajanus etsi erat amoribus puerorum & vino deditus, tamen nihil ob eam causam turpiter aut nequiter fecit, passivus est, quamobrem jure repræhenderetur. Et sanè si libido vel vini aviditas Tyrannum faceret; Bone Deus! Quot probi alioqui Principes eadem labe aspergerentur. Augustus quod ipsi libidinis vitium familiare esset, Tyrannus audiet, Optimis quibusque Rerumpublicarum Moderatoribus hæc nota inuretur: Tyrannus erit Constantinus Magnus, qui præter libidinis vitium quoque obnoxius fuit parricidio Crispi filii naturalis, æquè ac Faustinae uxoris ardentibus balneis suffocata. Itemque Carolus Magnus, qui, præterquam quod Longobardam uxore repudiarat, septem & plures concubinas aluit: Imò Tyrannus erit David, Salomon aliique à tyrannide alienissimi.

Progredimur ulterius, nec paganisum, nec hæresin Tyrannum facere judicamus, quoniam hæc privata vitia sunt, adeò ut de Republica benè mereri possit is, qui de fide malè sentit, fides enim non succumbit potestati politica, sed est extra ejus limites, nec de essentia Reipublicæ, cujus ultimus finis est communis humani generis in hac civili vita beatitudo. Quamvis igitur infidelitas, hæresis, scortatio, ebrietas aliaque vitia privata, gravia quidem sunt, & partim etiam tyrannide deteriora, Tyrannum tamen non constituunt, hoc est, vinculum illud quasi matrimoniale inter Principem & subditos non dissolvunt, quemadmodum Lææ Majestatis, homicidii, veneficii, aliaque crimina adulterio, quod solum dissolvit conjugium maritale, atrocitate superiora, ipsum tamen non dissolvunt.

Distinguitur porro tyrannis ab actu tyrannico, neque enim vel actus aliquis illicò Tyrannum facit, sicut actus aliquis virtuosus non illicò facit probum, quia nimirum ex unico actu de universis non est judicandum, & in separatis ab uno non licet inferre ad alterum. [b] Sic Davidis adulterium proditorium, quod non in totius Reipublicæ perniciem, sed in unius civis excidium patratum est, ipsum Davidem haud magis Tyrannum efficit, quàm unicum justum judicium Cambysem collocaat inter probos Reges. [c]

D

Eodem

[a] Dion in Trajan. n. 1. [b] L. Papinianus, ff. de minorib. [c] Arnif. d. l. 2. c. 3. sect. 6. n. 44.

26 *Vindiciæ pro capite R. Angliæ.*

Eodem planè modo distinguitur Tyrannus à Principe Tyrannico: Princeps ex parte pravus & degener tyrannicus quidem vocari potest, sed non Tyrannus, quia, licet alicubi exorbitet, & de industria malè agat, attamen legitimum jus suum in subditos retinet, illudque proba Reipublicæ administratione in rebus maximè seriis ubi non labitur integrum sibi conservat, potest enim in uno vel pluribus iniquus in cæteris esse bonus Princeps, quia ad administrationem totius Reipublicæ multi & diversi actus requiruntur.

*Quam alicuius à tyrannide fuerit Rex defunctus.*

Quorsum igitur hæc omnia, quum neque tyrannidis essentiam constituent, neque illorum vel minimum interempto Regi imputari possit? Eò nimirum, ut intelligamus quàm aliena ab eo fuerit tyrannis, quàm indignè isthoc vitio fuerit notatus. Nam si negligens, inutilis, fociors, & hebetioris ingenii Princeps haudquaquam Tyrannus est, num Tyrannus erit is, qui diligentissime pro Republica curas egit? Qui de tranquillitate publica deque subditorum suorum prosperitate multis modis sollicitus fuit? Si flagitiosæ vitæ Princeps, Intemperans libidinosus, vinolentus, ac similibus laborans vitis huic titulo obnoxius non est, num obnoxius erit is qui integer vitæ scelerisque purus fuit? Cujus temperantiam, castitatem, sobrietatem, humanitatem & quascunque virtutes alias totus Orbis admiratur? Si Tyrannus non est, qui de fide malè sentit, cujus hæreseos vitium impingitur; Num ille, cujus Religio & pietas rarum inter Principes exemplum præbuit, qui in fide Christiana secundum salutariâ Reformatæ Religionis dogmata ad extremum vitæ spiritum perseveravit, qui eandem suo sanguine obsignavit in perpetuam Independentium Brunistarum ac Sectariorum ignominiam? Si denique actus aliquis tyrannicus non facit Tyrannum, nec Princeps tyrannicus illico tyrannus est, num ille Tyrannus audiet, cujus actiones singulæ Principibus aliis justè imperandi Regulam præscribunt, qui à via legitimæ suæ potestatis vel minimum deflexit? Ridiculum certè hoc & summæ dementiae esset specimen, inaudita perversitas. Quid ergò, num seditioforum quorundam hominum malitiosa opinio & odium in Principem suum hunc Tyrannum efficit? Ita sanè hîc rem æstimari vidimus, sex & sentina Populi Tyrannum dixit Regem, quia legitimo ejus Imperio adversa fuit & indocilis potenti servare fidem.

*Quis pro-  
prie Ty-  
rannus.*

Pergamus ergò, quem quærebat non dum inventus est Tyrannus: En vide hîc veram & genuinam descriptionem tyrannidis, quæ deinceps ejus inveniendæ viam certissimam demonstrabit, fontemque aperiet ex quo omnes actus tyrannici scaturiunt. Tyrannis Aristotele auctore, est Imperium summum unius in pares & melio-

res,

res. ad utilitatem privatam, & non publicam : Hinc intellectu facilis est essentia & natura Tyranni, nimirum quod sit is, qui paribus & melioribus imperat ad solum quæstum privatam, hoc est, qui à fine legitimi Imperii longissimè deviat. Tota enim Regis & Tyranni differentia in fine consistit, certè quoad imperandi potestatem pares sunt : Species fortuna & licentia par est Tyranno & Regi, inquit Seneca, sed qui potestatem eam benè exercet, Rex est, qui malè, tyrannus. An autem bene vel malè exercentur, ejus æstimatio non aliundè peti potest quam ex fine Regiminis & Reipublicæ, quem scimus esse communem populi in hac civili vita beatitudinem; Quam diu igitur hic intenditur finis, legitimum manet Imperium, proba administratio, bonus Princeps, & quidem eo melior quo propius eum finem attingit, minùs autem bonus quò longius ab eo recedit, quantum enim recedit ille, tantum de laudabili bonitate decedit Reipublicæ : Interea tamen boni Principis nomen non amittit, quamdiu aliquatenus saltem ad scopum illum vergit. Sed si tantum deviet, ut eo prorsus neglecto communem civium beatitudinem in privatam suam commodum convertat cum communi omnium incommodo ; si per omnes partes & tota latitudine vitiosus sit, & non nisi in perniciosum finem tendat, boni Principis titulo planè excidet, totus malus erit, injustus, illegitimus, & sic Tyrannus, hoc proprii habens, ut violenter imperet, ut sit incorrigibilis, [a] tota sua natura pravus, nihil ampliùs habens quod à Deo fit.

Advertite Rebelles parricidæ, habetis jam quid propriè sit tyrannis, quid propriè Tyrannus, quis eo nomine notari debeat. Totiùs humani generis nunc estò judicium, utrum dignè vel indignè notatus fuerit Rex vester ; Princeps ille quâ publicè, quâ privatim Optimus ; & Viri boni, & boni Principis dotibus ornatissimus, virtutum illud exemplar. Discernant quibuscunque discretio est, illene Princeps, qui nunquam vel minimum à regia via deflexit ; cui semper salus populi suprema lex fuit, cujus sub Imperio summum felicitatis gradum Anglia obtinuit, & etiamnum obtineret, nisi ex nimia satietate hanc beatitudinis escam fastidians seipsam ad infimum dejecisset, illene Princeps tota natura fuit vitiosus, in omnibus privato quæstui intentus, bono publico perniciosus, totus malus, injustus ? Illene longissimè abfuit à fine legitimi Imperii, qui proximè adfuit ?

D 2

Imò

[a] Aristot. 4. pol. 10. Thom. in declarat. de finit. Arist.

Imò ponamus non tam propè adfuisse Regem, in quibusdam à regio tramite deviasse, quædam ab eo tyrannicè esse gesta, indignè nihilominus tyrannus audiret quia multa in eo adhuc reliqua fuissent iusta & legitima quæ propter in illum violentas, injicere manus haud licuisset, sed eadem illi reverentia, idem obsequium fuisset præstandum, quod ipsi revera veluti Principi tota natura & omnibus suis partibus bono præstandum fuit.

V. Neque enim de optimis sed de universis intra bonitatis terminos quodammodo constitutis ab Apostolo dicta est sententia: Non est RATIONE REI. PRO- PTER EIVS EXEMPTI- ONEM. potestas nisi à Deo [a] aded ut etiam de Principe impio & infideli intelligatur pronunciata, quemadmodum Cyri & Nebuchodonosoris, quorum unus infidelis, alter & infidelis & impius fuit, exempla convincunt. Cyrum annos ferè centum & quinquaginta antequam nasceretur Deus Pastorem suum appellat, qui completurus sit omnem voluntatem ejus, ac eidem nondum nato regnum deputaverat. [b] Nebuchodonosorem Ministrum suum appellat, seque illum effecturum testatus est potentissimum Orbis terrarum Principem. [c] Qui licet totam Palestinam ferro flammaque vastarat, Hierosolymam expugnavit, templum incenderat, vasa sacra expilaverat, imò Idola adorare recusantes ardenti fornace vivos concremari jufferat. [d] Nihilominus tamen ad Judæos captivos hæc Prophetæ vox est: Orate pro vita Nebuchodonosoris & filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies Cœli superterranei, utque Dominus virtutem det nobis, ut vivamus sub umbra Nebuchodonosoris. [e] Teneamus igitur in Principe iniquo non exstingui ordinationem divinam, quatenus præter pravitatem & vitia super est aliquid, quod sit legitimum & à Deo, hoc est, Principem iniquum etiam à Deo esse, quamdiu aliquid in se habet quod Dei est, quod si tale nihil habeat amplius, si tota sua natura depravatus sit, si hominem ex homine exuerit, tum demum Tyrannum esse.

De utroque quid Juris, altius est inquirendum, ut è veris publici juris principiis elucescat, quid ad summum in inactatum Regem tentare licuisset, si vel iniquus fuisset Princeps, vel Tyrannus.

De

[a] *Rom. 13. 1. Epist. Petri 2. 17. Bodin. de Repub. lib. 2. cap. 5.* [b] *Esai. cap. 44. 45.* [c] *Icrem. cap. 25. & 27. Exech. cap. 29. vers. 19.* [d] *Dan. 6.* [e] *Baruth. cap. 1. vers. 11.*

De Principe iniquo Sacrarum Literarum autoritate, & solidis politicae prudentiae fundamentis illud discimus, quod ei nihilominus debeat honor & obsequium. Nam quia à Deo est, & quaedam adhuc in se habet quæ Dei sunt, propterea Deus per ipsum, & quasi in ipso vel honorabitur, vel è diverso contemnetur; unde maledictio in Principem quam serio vetat divina autoritas, (a) Species quædam blasphemiae censetur, (b) quasi per eam ipsa divina Majestas maledicatur: & contra honor Magistratus sui reputatur pro honore Domini. (c) Quasi per ipsum divina Majestas honoretur ac timeatur. Præstanda igitur obedientia ex divi Petri præcepto Dominis etiam pravis & asperis, qui injustè opprimunt, beneficiaque verberibus & injuria rependunt. (d) Hac de causa Jeremias Vates impium Regem Zedekiam nihilominus suum appellavit Dominum. (e) Saul iniquus ac multis actibus tyrannicis contaminatus Princeps, imò re ipsa Tyrannus, haud aliter tamen quàm Regis & uncti Domini titulo à Davide afficitur. Abimelech summus Sacerdos, dum ab eodem argueretur cum Davide contra se conspirasse, excusatione sua hoc reverentiæ & subjectionis dedit argumentum: Se nescivisse inter Regem & Generum ejus fuisse inimicitias, alias sibi nihil commercii futurum fuisse cum Domo Isai. (f)

Habet tamen illud obsequii debitum hoc casu suas limitationes; Si impia & inhoneſta præcipiat. Quatenus enim iniqua Princeps imperat, non equidem omnibus modis obediendum est; Ratione eorum quæ imperantur, & quibus distinctione opus: Si contra Dei & naturæ leges quid præcipiatur omnibus indistinctim subditis, divinitus præceptum est, ut plus Deo quàm hominibus obediant. (g) Nam possumus id, quod honestè possumus, unde, quæ honestè non possumus, hoc est, quæ pietatem, famam & verecundiam lædunt, ea facere non posse absolutè intelligimur. (h) Ergò parendum quidem est Domino Regionis, dum jubet & præcipit, quæ Domino Religionis non sunt contraria; (i) alioquin magis timendus est qui gehennam, quàm qui carcerem minatur. Quod à multis usu observatum esse testantur exempla.

D 3

Interea

(a) Exod. 22. (b) C. paratus. 23. quæst. 1. Gilhaus. in arbit. Crimin. cap. 2. tit. 3. (c) Syrach. cap. 10. 24. (d) 1. Peti. 2. (e) Jerem. 37. vers. 20. (f) 1. Reg. cap. 22. (g) Actor. 5. vers. 29. (h) L. filius, ff. de condit. & demonstrat. (i) Ernest. Cothman, Col. 2. num. 7. vol. 4.

*Quid pri-  
vatis li-  
ceat.*

Interea tamen privatis in nudis recusationis terminis permanendum est, & ex mente Lutheri potius exilium patiendum, quam Principi impia mandanti resistendum. [a] Qui secus gladium sumpserit, quia jus gladii non habet, gladio peribit. [b] Hinc evidens est, etiamsi mactatus Rex impia quædam & inhonesta divinis & naturæ legibus contraria suis imperasset subditis, uti nunquam tale quid ab eo factum est, militibus tamen non licuisse violenter in eum insurgere, sed ferenda potius fuisset, iniquitas cum modesta imperati recusatione, quoniam illi, quæ universi, quæ singuli privatorum loco erant, neque ulla iis competeat in moderanda Republica autoritas: Ergò minimè dubium est, quin tandem aliquando perituri sint gladio, quem adedè temere & injustè sumpserunt, dum ad vindictam ira divina procedens, supplicii tarditatem pœnæ gravitate compensabit.

Quod si expressè non pugnent cum Dei & naturæ legibus iniqua præcepta, imò si dubitetur utrum sic pugnent, eò casu non tantum non resistendum est violenter; sed etiam fideliter obediendum, ne iusta recusando rebellandi occasio præbeatur, [c] qui secus non tantum non obsequuntur, sed etiam privata autoritate resistunt, legum executionem & imaginem Dei tollere conantur. [d]

*Quid Ma-  
gistratus  
sive Ordini-  
bus.*

Sed alia ratio est quo ad eos subditos, qui in partem curarum assumpti, & in quibusdam communicatam quadantenus potestatem habent, hoc est, qui Magistratus Personam sustinent, atque jus gladii habent, veluti Rerumpublicarum Proceres sive Ordines: Horum quidem autoritas alibi major alibi minor est, conveniunt tamen in eo omnes, quod sese actibus tyrannicis opponere possint, in tantum ut, si Princeps à tramite suo nimium aberret, atque salutem publicam in periculum adducat, moderari possint eam licentiam: Verum quibus modis & quatenus? Piè, justè, reverenter & modestè, obtestationibus & deprecationibus opus illud peragendum, quibus si nihil proficiant, Deo rem commendabunt, nisi Princeps actus illos armatâ manu exerceat, tum quidem resistere licebit, sed in iustæ defensionis terminis; omni procul offensione; Prius enim manum admoveere gladio quàm Princeps eum stringat injustum erit & impium. Ea propter cum Principes Germaniæ potentissimi & liberrimi, Regibus pares, pro suscepta Religione pugnare, & adversus Carolum V. Imperatorem arma capere decrevissent, atque Martinum

[a] *sléidan. lib. 9. Comment. in prin.* [b] *Matth. C. 26. v. 52.*  
[c] *C. quid culpatur. 23. quæst. 1.* [d] *Pet. Martyr. ad  
cap. 16. 1. Reg.*

tinum Lutherum consulissent, num id jure divino liceret; Idem Lutherus constanter negavit. [a] Quod si verum est, nemo non animadvertit, quàm injustè & impiè Parliamenta subditi multò inferiores ac indigniores, adversus Regem suum Principem absolutum prius arma & quidem ultra defensionis terminos moverint, arma quorum ipsis nullum jus fuit, quum illud ad effectum supremæ jurisdictionis & summæ potestatis referatur. [b] Vnde etiam belli suscipiendi gerendique, Pacis item & fœderum potestas Anglorum Regi uni & soli in solidum competit. Hic enim tanquam Angliæ Monarcha summam pacis bellique denunciandi potestatem habet, bellum indicit, fœdus aut inducias rursus paciscitur, militiæ quoque & in castris Princeps absolutam potestatem nullis legum repagulis coercitam habet, ejus placita vim legis sustinent, sine aliqua processu judiciarii formula hos morte multare potest, illos pœnâ corporis ubi quid deliquerint quantum libet castigare, Illorum verò nullus gladii jus habet, ad unum omnes Regiæ Jurisdictioni succumbentes, aded ut subditorum vita & membra ad solum Regem pertinere dicantur, hoc est, ut ne quidem modica, nedum maxima jurisdictione, quæ consistit in mero Imperio & gladii potestate, cuiquam præterquam Regi competat nemini, quâ de causa Coronæ & ejus quæ Coronam gestat jura tractari dicuntur, quoties pro vita aut membrorum mutilatione in judiciis causa dicitur. [c]

Parliamentis non Licuisse armis in suum Regem insurgere.

Quæ cum ita sint, evidens de iis judicium est quod de jure civili Majestatis Rei judicandi sint, non tantum sine jussu Principis, sed & in ipsum Principem arma sumentes. [d] Idem Judicium esset, si jus novissimum Imperii attenderetur; quo violati territorii & fractæ Pacis Rei aguntur, qui in alterius perniciem sine permissu summi Principis arma usurpant. [e] Quid ergò juris esset si in ipsius Principis perniciem usurpentur? Et generaliter in omni superiorem recognoscente bellum injustum præsumitur, [f] quemadmodum è contrario justum censetur bellum, quod à Principe superiorem non recognoscente suscipitur, quia illis gentium more & legibus autoritas belli competit. [g]

Circa perduellionis Crimen.

Sed quid audimus hic obstrepentem Judicii Præfidem insulfum istum blateronem, dum sententiæ summam exponeret? Axioma illud:

[a] Apud Sleidanum. [b] Bald. conf. 437. vol. 1. Thom. Aquin. 2. 2. q. 40. art. 1. [c] Thom. Smith. de Rep. Angl. lib. 2. c. 4. [d] Bart. ad l. hostes. ff. de capt. & postlim. l. 3. ff. ad l. Jul. Majest. [e] R. A. Zu Augsburg de anno 1495. Cammer-Gerichts Ordnung. part. 2. tit. 15. [f] Bellin. de re milit. part. 1. tit. 5. Geil. de P. P. c. 4. n. 4 [g] C. qui culpatur, 23. q. 1. C. justum. 23. q. 2. l. Vn. C. ut armor. us.

illud : Rex non habet parem in Regno , verum esse quoad singulos ; sed universis esse minorem : Fuisse Regem non nisi Officiarium Regni cuius fidei concreditum esset Regium Officium, consideranda esse aliorum exempla. In Regno Arragonensi constitutum esse hominem quendam inter Regem & Populum , qui ipso Rege sit superior magnus Privilegiorum Populi custos appellatus. Quod apud Romanos erant Tribuni, apud Lacedæmonios Ephori ; Idem in Anglia esse Parliamenta. Ergo secundum hanc sententiam Regem superiorem non recognoscunt, sed illis Rex ipse minor est, ac proinde hic inanis erit illa præsumptio de bello iniusto.

*Regem Angliæ summum esse Monarchiam à populo Independentem.*

Quam frivola & frigida hæc sine ullo fomento veritatis objectio, anilem certè fabulam redolet. Nam in genere hoc indubitati juris est, penes quos Majestas est, penes eosdem esse superioritatem, quia ea Majestatis natura, illud ejus essentiale proprium, ut supra eam nullus detur ascensus. (a) Atque absoluta superioritas est ipsa forma & substantialis essentia Majestatis, (b) & sublimioris imperii summique dominatus symbolum. Sed verò Regi Angliæ Majestatem denegare, esset soli denegare lucem, nemo enim in publici Jurisprudencia aded hospes est, qui ignoret eam penes unum Regem residere. Hic belli & pacis, fœderumque summus est arbiter; Ei jus ducendi exercitus & milites conscribendi competit, imò subditos ad arma cogendi potestas : (c) Ab ejus solius arbitrio dependet Magistratum creandorum potestas: Ejusdem est suprema Jurisdicção, aded ut ne quidem ulli Procerum aliqualis competat jus dicendi potestas, ne quidem mixtum, ut vocant, imperium: Eidem jus est circa sacra, & Religionem, quatenus intra politicæ potestatis terminos concluduntur: Hic itidem solus de re monetaria disponit: Hic ignoscendi potestatem habet, hoc est, jure vel injuria damnatos contra vim legum ac judiciorum liberare potest: Sic & potestatis Regiæ est jus leges relaxandi. Verbo : vita, caput & auctoritas in Principe est omnium quæ in Republica Anglicana geri solent. Hæc & similia omnia absolute in ejus solius gremio hærent. Duo tantum præcipua sunt, quæ ab eo per consensum Parliamentorum exercentur, nimirum legum ferendarum potestas, & jus collectarum sive tributorum, & alia quædam leviufcula, veluti mensurarum aridorum & liquidorum confirmatio vel mutatio. (d) In his consentiendi gloriam habent Proceres. Quantum ad jus tributorum,

non

(a) Bald. Conf. 437. n. 1. Knich. de jure. territ. c. 5. n. 70. (b) Covarr. pract. qq. cap. 4. (c) Meteran. hist. Belg. lib. 13. (d) T. Smiib lib. 2. cap. 4.

non est legitima alicubi Monarchia in qua idem non observetur, nam ex Bodini mente cæteris Regibus in eo genere non plus quam Anglorum Regibus licet, cum nemo sit tam improbus Tyrannus qui aliena bona diripere sibi fas esse putet. Ita in Gallia, ubi absolutissima & simplicissima est Monarchia, lege Philippi Valesii Regis cautum est, ne collectæ indicantur sine summa necessitate, deque trium Ordinum consensu. [a] Et generaliter nemo est omnium Principum qui jus habeat vel teruncium unum exigendi à suis præter annum censum, nisi populus assentiatur. [b] Sic & in fanciendis legibus idem juris obtinet in multis aliis Monarchiis: In Imperio non nisi in Ordinum conventu leges fanciuntur. Similiter olim & adhuc dum quodammodo in Francico, atque etiamnum in Hispanico, Hungarico aliisque Regnis. Debet enim probus quicumque Rex, quas populo ferre cogitat leges, in commune prius consilium deducere, & ut gratius recipiantur, firmiores agant radices in animis subditorum, communi consensu roborare: Neque tamen de horum Monarchico Imperio mota est unquã controversia.

Quum igitur Angliæ Rex solus in gremio suo reconditum habeat Majestatem, & proinde formale ejus, superioritatem, hinc in apertum se prodit Præfidis dementia, dum Regem officiarium Regni appellat, quasi secundario, dependenter & alieno jure Rempublicam administrasset, ac veluti Minister mercenarius fuisset; Dum Regnum hoc Romanorum & Lacedæmoniorum Reipublicæ comparat, dum Parliamenta Tribunis & Ephoris adæquat. Nam quoad primum, satis nota est Theologorum æquè ac Politicorum calculo subscripta opinio, Majestatem sive summam in Republica potestatem immediatè à Deo esse: [c] ~~Vnde Rex Angliæ, qui, ut in aliis, sic & in eo Regno immediatam & independentem potestatem legitimæ successioneis jure habet, ex necessaria sequela ipse immediatus & Independentens est, Dei Vicarius, [d] Dei Legatus, [e] Lex animata in terris vices Dei gerens, [f] Imago divinæ Majestatis, imò Deus in sua terra, [g] cui non minus quam Imperatori Justiniano à cœlesti Majestate imperium traditum fuit, non minus quam Maximiliano I. & Carolo V. [h] qui eandem suam potestatem immediatè soli Deo acceptam referunt. [i] E Nec~~

[a] *Jun. Brui. vind. contra Tyrann. quæst. 3.* [b] *Comineus lib. 10. de reb. gest. Lud. XI.* [c] *1. Pet. 2. vers. 13.* [d] *Sap. 6. vers. 5. Psal. 82. vers. 6.* [e] *Nic. Reufner. conf. 1. n. 24. lib. 4.* [f] *Nov. 105. c. 2. in fin. Petrus Martyr in 1. Reg. cap. 18.* [g] *Bald. in conf. 328. num. 7. lib. 1.* [h] *Nov. 73. in Præf. paragraph. 1. & Nov. 6. in prin.* [i] *In diversis recessibus de Ann. 1495. 1548. Item in Aur. Bulla in Præf.*

Non ob-  
stante Iu-  
ramento.

Nec obstat Jusjurandum inaugurationis tempore præstitum Pio Martyri aliquoties objectum, ex quo contractum inter Regem & Populum arguebant, quasi beneficio Populi Regiam habuisset potestatem: Nam laudabilis est illa Doctorum distinctio, [a] inter ipsam potestatem & inter modos consequendi, potestas per se & suâ naturâ est independens & immediatè à solo Deo, ac proinde ejus respectu etiam hi qui illam habent; sed modi eam potestatem consequendi naturales vel humani sunt, & quidem varii; Nam vel per electionem, vel forte, vel ex lege Regni, vel denique jure hæreditario ac titulo successione potestas competit: Vbi per electionem Princeps imperium consequitur, ibi illud quoad modum consequendi dependens est à populo, eodemque respectu is qui consecutus est. Atverò ubi modus consequendi in hæreditaria successione consistit, ibi ne quidem illius respectu à populo, sed à solius naturâ legibus. dependet summa potestas. Juramentum autem aliæque inaugurationum solemnitates non magis sunt de substantia legitimæ potestatis, quàm benedictio Ecclesiastica matrimonii essentiam ingreditur, quemadmodum igitur illa benedictio conjugium non facit, sed solemniter confirmat, ita & juramentum non facit eam potestatem, neque per illud Majestas quicquam læditur; sed confirmatur tantum, quæ ratio est cur illa jurandi solemnitas notorio totius Orbis Christiani usu observetur. Imò Deus ipse Rex Regum, Dominus Dominantium fœdus cum Ecclesia percussum confirmavit Jurejurando præstito per semetipsum in nomine suo magno, per animam suam, per vitam suam, per sanctitatem & dextram elevatam, [b] Ideò tamen ineffabilem Dei Majestatem hoc ipso diminui aut ab Ecclesia dependere quis dixerit?

Parliamen-  
ta Ephoris  
vel Tribu-  
nis non esse  
comparan-  
da.

Cur autem Lacedæmoniorum Ephoris vel Tribunis Romanorum adæquantur Parlamenta? Nimirum ut, quod Ephori in Republica contra exercitus Duces, quos Reges vocabant, ausi sunt, idem ipsis Parliamentis contra Regem suum licere demonstretur. Ephori isti Regum suorum plurimos expulerunt, vel multarunt, vel etiam capitali supplicio affecerunt, ut Agidem & Pausaniam. Decimo quoque anno cælum contuentes nocte serenâ, si quam stellam, ut refert Plutarchus, scintillas emittere, aut transilire perspicerent, Reges in carcerem conjiciebant, nec ante carceribus eripi poterant, quàm id Apollinis Oraculo denunciaretur. Ephori habebant

[a] *Limnaeus de Jure Pub. Imperii. Romano. German. lib. 4. cap. 6. num. 26.* [b] *Gen. 22. vers. 16. Icrem. 44. v. 26. Esai. 62. vers. 8.*

habebant jus belli, penes eos erat potestas in leges, potestas creatorum Magistratum, item suprema Jurisdictio, licet enim judicia vitæ & necis maxima ex parte Senatui fuerint obtrusa, attamen illi de ipsis Senatoribus, Regibus ac Magistratibus, aliisque civibus judicabant. Verbo. Ephori habebant omnem auctoritatem in Civitate. [a] Similem habere potestatem Parliamenta Angliæ quis dixerit? Eandem per fas & nefas affectasse quis negaverit? Omnes eorum conatus eò tendere, imò Ephoros in eo superare velle, quod etiam jus ducendi Militem sibi arrogarint, experientia veritatis merities satis edocet. Sed quàm frivole, quàm ineptè hîc simplex & absoluta Monarchia cum paucorum imperio sive Aristocratia confunditur, quàm stulte comparatur hîc belli Dux in quo ne minimus quidem Majestatis articulus refulgebat, summo & absoluto Regi, quàm insulse Proceres Aristocratici, quorum summa omnium potestas est, Regni Ordinibus suo Regi subditis, qui Majestate non potiuntur, sed imperium Majestatis patiuntur. De Tribunis Romanorum idem esto judicium.

Non est itaque tam absurdus Euricles, qui non animadvertat Regem Angliæ summum atque absolutum esse Principem, qui omne quod habet, à Deo & natura habet, nil quicquam beneficio potius à judicio humano, qui non singulis tantum sed & universis major atque adeo superior est, ut licet quibusdam tyrannicis actibus iniquus fuisset, jus tamen & potestas Ordinum tali casu ultra nudæ recusationis, obrestationum, deprecationum atque ad summum ultra justæ defensionis terminos non fuisset extendenda. *De exemptione Regis à judicio humano ulterius disputatur.*

Num ergò bonum Principem à tyrannide alienissimum, omninò iniquis actibus impollutum armis invadere licuit? Sed quid armis invadere? Captivitati mancipare, judicio sistere, accusare, judicare, damnare, capite truncare? Incomparabilis hæc est injuria, inauditum facinus, incomperta omnis divini, naturalis gentiumque juris violatio.

Lex est à Deo data ne Diis maledicamus, hoc est, ne vel verbis offendamus eos, quos in his terris supra nos constituit Vicarios, Principes, Monarchas: tam nihil Juris in eos habent subditi, adeò nullam in ipsos animadvertendi potestatem: Nemini præterquam immortalis Deo rerum gestarum coguntur reddere rationem: Nemo nisi solus Deus illorum Judex est, [b] nullum alium habent judicem,

E 2

[a] Plurar. in Arist. num. 7. [b] Xiphil. in vit.  
Anon. Philos.

cem, adeò ut etiam in propria causa iudices esse possint, quibus ab immortalì Deo rerum omnium arbitrium concessum est. (a) Theologorum Antesignani Lutherus & Calvinus, (b) non modò non licere putant subditis Principes tyrannidis specie occidere, sed ne verbo quidem violare fas esse.

*Demonstratio ex Iure Divino.*

Cognovit hanc Regum ab humanis iudiciis exemptionem David Judæ ac Israelis Rex, cum post eadem Vriæ & Barsebæ adulterium tyrannici hujus actus poenitentiam agens Deo palam professus est: Tibi soli peccavi, atque iniquitatem coram te operatus sum. (c) Eandem exemptionem, antequam Monarchiam adeptus esset, in antecessore suo agnovit, quamvis enim suæ vitæ infidiaretur, ac præterea multorum tyrannicorum actuum turpitudine infamis esset, nihilominus ipsum soli Deo peccare credens, furorem ejus devitavit huc atque illuc perfugus, quamdiu privatam personam sustinuit, cumque privatus amplius non esset, sed unus è regni ministris, Dux exercitus Israelis, imò à Deo designatus & inunctus regni Successor, tum quidem armis se communit tentatis prius omnibus aliis remediis, (d) nusquam verò inculpata tutelæ fines transgressus est; Restitit quidem tyrannici Principis violentiæ, sed personæ & dignitati semper pepercit. Nam eo ipso tempore, quo illi perniciem intentabat, bis in ejus potestatem cecidit: Cumque à militibus suis increparetur, quod acerrimum hunc hostem occidere non permitteret, ejusmodi conatum execratus est: Egone, inquit, Regem Deo sacrum violari patiar? Non tantum nihil in ejus personam molitus est, sed etiam depræhensum salvum & incolumem è manibus suis dimisit, (e) ac ne violaretur sollicitè curavit, cum Prætorianos milites vino ac somno sepultos evigilari jussit. Et cæso ab hostibus Saule, eum militem, qui caput ejus amputatum afferens se rem gratissimam fecisse putabat, illicò necari præcepit, Regem mortuum sine simulatione luxit.

*Respondetur ad exemplum Amasie Regis à suis occisi.*

Neque ullis sacrarum literarum monumentis probabile est, populo in Regum etiam iniquorum statum vel vitam fuisse auctoritatem; Nullos primatum Jurisdictioni obnoxios fuisse constat. Equidem illud verum est, Reges quosdam fuisse dejectos ac trucidatos: Sic Amasias Rex Judæ in Urbem Lachis profugus ab Hierosolymitanis ad necem usque fuit infectatus, nam fœdus percusserant contra eum Hierosolymæ, ille verò recepit se in prædictam Urbem Lachis, ubi

(a) Bodin. de Rep. lib. 3. c. 6. (b) In Job. & instit. cap. ult. lib. 4. sect. 31. (c) Psal. 51. vers. 6. (d) 1. Sam. 24. vers. 21. (e) 1. Sam. 22. v. 2.

ubi eorum mandato occisus est: Sed omnium Ordinum iudicio & autoritate nihil tale commissum, nulla iudicarii processus formula observata, nulla accusatio, nulla sententia vel condemnatio Statuum arbitrio decreta, omnia violenter ac tumultuariè facta sunt ab unius primariæ urbis civibus in necem Regis conspirantibus; quæ de causa ipsum cadaver postmodum equis in urbem reductum est, ibique loco consueto, & cum reverentia Regiæ dignitatis sepultum. Deinde non restiterunt Populi Primates, quò minus Azarias Filius Patri succederet.

Procerum omnium autoritate & iudicio præsertim Jojadæ Summi Pontificis consilio decretum quidem fuit, ut Athalia, quæ per sexennium fere Israelis Regnum administrarat, interficeretur, verum ejus rei longè alia fuit ratio. Nam scœmina illa & in titulo & in exercitio Tyrannica fuit. Post Ahasiæ Regis filii sui obitum reliquam ferè Regiam stirpem extinxerat, adeoque per violentiam & cædes Regnum, quod muliebri imperium non ferebat, injustè & tyrannicè occupaverat: Quamobrem eam de medio tollere impunè licuit. Quippe de Tyrannis in titulo licet in exercitio Tyranni non sint, notissimi juris est, eos justè interfici. Apud Romanos Lex Valeriana impunè tales occidere omnibus permittebat. (a) Est enim hujusmodi Tyranni haud alia potestas quàm latronis, quem pro certo licet interficere. Illud præterea hic notandum est, justè matricatâ Athaliâ populum regia jura non arripuisse, sed hæredem legitimum præcedentis Regis filium Joam, qui per sexennium à Jojada occultatus fuerat, Regni hæreditatem citra controversiam adisse.

Quod si naturam consulamus, videbimus quàm congruè antesignanum suum sequantur Gruës Ordine literato. (b) Quàm manifesta in apibus sint hujus publici juris semina, quæ reverentiâ, quò obsequio Regi suo serviant, seque ejus imperio subjiciant, quàm nihil in perniciem illius moliantur. Regi amplissimum cubile est, medioque ac tutissimo loco, præterea onere vacat exactor alienorum operum, & amisso Rege totum dilabitur examen, præterea insignis Regis forma est, dissimilis cæteris. tum magnitudine tum nitore. (c)

Omnium denique gentium jure summi Principes sacrosancti & inviolabiles habentur. In eum sensum respondit Henricus III. Imperator Hungaris contra Regem suum Petrum auxilium sollicitantibus.

E 3

(a) *Plut. in Public.* (b) *Hieronym. in Ep. ad Rust. Monach.*  
 (c) *Senec. lib. 1. de Clem. c. 19.*

Ad exem-  
plum A-  
thaliæ in-  
terfectæ.

Ex jure  
naturali.

Ex jure  
gentium.

tibus, Reges apud omnes gentes suo jure sacrosanctos esse oportere, [a] & communiter Reipublicæ quam plurimum interesse tradunt, Stirpem Regiam sacrosanctam esse, ne sublatis Principibus Respublica concidat, aut inexplicabili seditione perturbata distrahatur. Si autem sacrosancti sunt Reges, merito etiam exempti à potestate subditorum, aded ut quâ singuli, quâ universi in summum Principem nihil valeant, quum non solum ab ejus unius imperio omnium imperio dependeant, sed etiam eo præsentente Magistratum & collegiorum omnium potestas conquiescat. Quemadmodum ergo clienti in Patronum, servo in Dominum nulla est jurisdictionis, ita nec subditis in Principem, quamobrem non tantum, occidere non licebit, sed ne quidem in jus vocare, de vita, fama ac statu ejus judicium constituere integrum erit. [b] Vnde Bodinus vir publici juris prudentissimus: Quod si Monarchia quædam est summa, inquit, unius potestate constituta, qualis est Francorum Hispanorum, Anglorum (O hejam viveres Bodine!) Scotorum, Turcarum, Moscovitarum, &c. ubi Reges sine controversia jura omnia Majestatis habent per sese; nec singulis civibus, nec universis fas est summi Principis vitam, famam aut fortunas in discrimen vocare seu vi, seu judicio constituto id fiat, etiam si omni scelerum ac flagitiorum turpitudine infamis esset. Atque hæc tam firmo veritatis fulcro nituntur, ut monente eodem Bodino, ne quidem scriptis disputandum sit, an liceat occidere Reges, sed quemadmodum eos, qui an Deus sit nec ne disputant, non argumentis sed pœnis acerbissimis refellere oportet, ita quoque statuendum esse in eos, qui perniciosissimis scriptis subditos in Principes armare con-  
sueverunt.

Historiam sacram nullum in contrarium exemplum exhibere jam ante demonstratum est, sed in profanis fortè aliud observatum: Quod si tale quid verum, in genere responderi vellemus, non esse aded respiciendum ad id, quod sit factumve est, quàm quod jure fieri debet: Exempla ad juris constituti abrogationem tanquam meri facti nullam vim obtinere, atque absurdum esse, quodlibet factum vel exemplum legi contrarium ei derogare vel abrogare posse, [c] præsertim cum jus illud ipsum Deum authorem habens, atque ex immotis naturæ ac rationis principiis constitu-  
tum

[a] Anton. Bonfin. de Reb. Hungar. decad. 2. lib. 2. [b] Bodin. de Republ. lib. 2. capit. 5.

[c] Reinckingk de Regim. lib. I. cl. 4. cap. 19. num. 41.

tum, æternum atque immutabile sit. (a) Neque quærendum esse quantum subditi viribus ac ferro, sed quantum jure potuerint. (b) Multos profectò Principes è folio dejectos scimus, sed quo jure ignoramus: Plerumque vel levissimo prætextu etiam in bonos Principes tanquam in tyrannos sævitum est. Multi à vulgo Tyranni sunt appellati, qui tributis ac vectigalibus cives plus æquo urgebant, sicut eo calculo notatus est Ludovicus XI. Gallorum Rex, quando contra eum bellum quod bonum publicum dicebatur susceptum est à quibusdam ejus subditis, & si vires conatibus fuissent pares, grævius quid in Regem statuissent, sed præter jus & æquum, contra divinas & humanas Leges, quàm procul enim à tyranno absit, qui populum tributis nimium angit, non opus est ut repetamus. Imò multi quod cohortes pratorianas adversus improbos habent, aut si conjuratos, vitæque suæ insidiatores supplicio afficiant, tanquam iniqui ac tyrannici Principes subditorum suorum violentiam passi sunt. Multi vel ob negligentiam, vel ob imbecillitatem, vel ob intemperantiam aliaque vitia privata foras exire sunt coacti. Sic Carolus Crassus ob ignaviam abdicatus est, quod Franciam Normannorum vi bellicâ sædatam relinqueret, & conjugem sanctam probri insimulasset. (c) Nec defuit in ejusmodi casibus furor Pontificius. Nicolaus Pontifex Romanus Lothario Regiam potestatem adimit, dummodo potuerit, quod uxori concubinas adjunxisset. (d) Gregorius VII. Henrico Imperatori ex cæteris causis imperium ademit, hoc est, subditos bruto suo fulmine contra legitimum Principem concitavit, quod uxorem dimissurus videretur. (e) Et antea quidem Ludovico Pio vel illud vitio datum atque inter abdicationis causas relatum est, quod Judithæ uxori præter decus Imperatorium inserviret. (f) Horum tamen quidam sua sponte Principatui renunciarunt, ac postea mutato consilio eundem receperunt, nulli autem capitis damnati ac morte affecti.

Quod si oculos nostros ad Anglorum & Scotorum præcedentia exempla convertamus, quæ Præsès judicii tam magnificè extollebat, videbimus, quàm nihil ad rem suam faciant. Nam simili modo vel sponte sua diadema deposuerunt, vel citra ordinarium juris processum violenter & injustè dejecti, nullis tamen adempta vita, nulli capite

(a) *Inst. de Jure N. G. & C. parag. fin.* (b) *Bodin. d. loco.*

(c) *Cuspinian. in Car. Crasso.* (d) *Cap. ult. 2. quæst. 1.*

(e) *Sigon. lib. 4. hist. Ital.* (f) *Arnif. vel. pol. lib. 2.*

*cap. 3. sect. 6.*

Eduardus  
II. & Ri-  
chardus  
sponte re-  
nuncia-  
runt.

capite truncati: Eduardus II. & Richardus II. Angliæ Reges licet iniqui Principes, attamen nonnisi propria voluntate falces deposuerunt: in eos nullam tunc jurisdictionem Parliamenti sibi arrogarunt, nulla tunc observata ordinarii processus formula, nullæ institutæ accusationes, nullum examen: Sed voluntariam illam abdicationem Parliamenti Senatus-Consulto tantum comprobarunt, in quod ipsi Reges antea plenissimum dederant consensum. Atque ista Parliamentorum approbatio vel ideo fuit necessaria, quia alioquin se ipsos abdicare non potuissent. Quamvis enim quoad independentiam immediatè à solo Deo, quoad modum consequendi à natura habent. Majestatem sive summam imperandi potestatem, adeoque nullâ ratione à Parliamenti sive Populo, eam tamen citra populi vel Parliamentorum consensum abdicare ac aliis concedere non licebat. Nam in genere à prudentibus traditum est atque exemplis confirmatum, posse quidem fieri renunciationem summæ potestatis, non tamen semper & indistinctè illum causas, etiamsi à jure approbatas recipi ab iis, quorum interest, renunciationem effectum non fortiri. [a] Cujus autem plus interest quam Ordinum vel Parliamentorum? quamobrem renunciatio citra eorum voluntatem omnibus modis invalida est. Ita cum Henricus II. Imperator Argentinam discedens vitam canonicam appeteret, ab Imperii Principibus retractus est, & enixè sollicitatus ut imperio præfesset, abdicatione profusus denegatâ. [b] Et cum Carolo V. Imperiale diadema deponere animus esset, nonnisi Electorum consensu resignatio vel renunciatio fieri potuit. [c]

Hinc evidens est, quàm nihil rem gestam intelligant, vel quàm maliciosè eam pervertant, atque ad alienum sensum traducant, qui prædictorum Regum Eduardi & Richardi abdicationem veluti depositionem ordinario juris processu decretam, Parliamentorum auctoritati adscribunt. Ac licet Eduardus à sceptro remotus esset, attamen persona ejus semper inviolabilis fuit, adeo ut, qui eum postea interfecerant Rogerius Mortinier cum suis affectis perduellionis rei judicati sint. [d] Maria Scotiæ Regina martyris nostri Avia simili modo ad Ordinum instantiam sponte renunciavit suo regno, filioque resignavit. [e]

Habemus

(a) *Limnæus de Jure Pub. Im. Rom. Germ. lib. 2. cap. II.* (b) *Schadæus in summo. Argent templ. cap. 2. pag. 111.* (c) *Vt liquet ex R. A. Zu Augspurg. de Anno 1559. ibi. mit voorwissen des H. Reichs Chur-Fursten.* (d) *William Prynne in memento art. 10.* (e) *Meteran. hist. Belg. lib. 13.*

Habemus jam quantum divinis ac humanis Legibus permiffum fuerit Anglis in legitimum suum Principem etiamfi ponamus eum fuisse iniquum & quodammodo tyrannicum, ipsis nimirum ultra nudæ recufationis & necessariæ inculpatæque defenfionis terminos nihil fuisse concessum, nullam ipsis in ejus vitam, famam ac fortunas fuisse animadvertendi potestatem, verbo: Etiamfi talis Princeps, eum nihilominus quoad vitam, famam imperandique potestatem ab humano judicio fuisse exemptum.

Discamus tandem quid in ipsum juris statuere ad summum licuisset, si accusatio adversariorum veritate niteretur, hoc est, si omnibus partibus consummatus fuisset tyrannus, tota latitudine vitiosus & illegitimus, sua natura malus & incorruptibilis cum publica omnium pernicie & interitu. Certè qui inter Politicos prudentiores habentur, ne quidem tali casu vitæ privationem concedunt. Nam quemadmodum nefas est filio violare parentem suum, etiamfi latro, parricida, impius erga Deum & patriam extiterit, ac supplicii omnibus dignus sit: Quia nulla tanta impietas est, nullum scelus quod sit parricidio vindicandum, (a) eodem modo nefas esse subditis omnium suorum Parentem violare: Quasi in eo nulla possit esse tanta iniquitas, nullum scelus quod tali parricidio vindicari debeat. Et sanè repenitus perspectâ nihil hac sententia verius est, nam si occidendus esset ejusmodi tyrannus, fieret hoc vel à Privatis, vel à Magistratibus sive Ordinibus Regni. Privatis hanc dare licentiam plus quàm tyrannicum est. O quanta sit tyrannorum futura multitudo, (ita exclamat Bodinus) si tyrannos subditis occidere liceat, quàm multi & optimi Principes suorum conspiratione perituri! Sic est revera, & Regis & Regni salus à privatorum penderet arbitrio, indocilis potenti plebs servare fidem quem non trucidaret? Ordines autem sive Status Regni, aut succumbunt violentiæ tyranni, aut superiores sunt: Si succumbant, cedo sodes, quis eum judicio sistet? quis examinabit? quo modo mandabitur executioni sententia contra eum lata? Si superiores sint, cur effundetur facer sanguis? Cur trucidabitur communis omnium Pater, qui honesta custodia servari potest? Preferantur parricidio carceres. Ob legitimas causas patrem exheredare leges permittunt, trucidare vetant. Filium omnibus modis afflixerit pater, domestica disciplina tramites transgressus fuerit, personæ non minus quàm patrimonio detrimentum intulerit, sæviat pro lubitu, potestate suâ prorsus excidat, manebit tamen filio semper honesta & sancta ejus persona.

Tyrannum  
imuisse oc-  
cidi.

F

(a) Bodin. ex Quintil. in declam.

42 *Vindiciæ pro capite R. Angliæ.*

sona. [a] Naturæ & hominum lege, ait Chrysoftomus, veniam negant filio nisi patienter pertulerit patrias injurias, sive flagris coerceat, sive à mensa abigat, sive ædibus excludat. Et licet jure facta sit exhæredatio, eâ tamen naturæ jus nullum evertitur: tanta est Paterni nominis æstimatio & reverentia, tanta etiam vel major Regii nominis veneratio erit, major erga personam Regis reverentia, qui communis Patriæ Pater est, Patriæ, quæ nobis parentibus & propria vita carior esse debet. [b] Ratum iraque sit publici æquè ac domestici tyranni vitam omnibus modis inviolabilem esse. Sanctè hoc à Danis observatum fuit: Cum enim Christiernus Daniæ Rex tyrannus crudelissimus regno quidem, quod populi suffragiis adeptus erat, dejectus esset, in ejus tamen vitam nihil constitutum vel tentatum, sed ad mortem usque sub honesta custodia detentus est, licet Rex ille non adeò absolutus esset Monarcha quàm Rex Anglorum, à Deo & natura tantum dependens summus Princeps. Nec quicquam in Wenceslai vitam decretum est via juris, sed quâ Imperator imperio dejectus, quâ Rex Bohemiæ carceribus aliquoties mancipatus, ulterius in eum nihil animadversum est, licet publicè æquè ac privatim adeò vitiosus esset Tyrannus, ut hominem ex homine exuisse videretur, dubiumque sit, an unquam sceleribus ac turpitudine parem habuerit in Orbe Christiano, sordidus iste Epicuri porcus historicorum judicio dignus qui non diadema in capite sed laqueum in collo gestaret, nec inter Reges sed Histrones ac porcos numerandus, tyrannide, foecordia, luxu omnia foedans, qui in Bohemia nullum quod excogitari potest scelus intentatum relinquens millia hominum innocentium novis exquisitis cruciatibus interimere jussit, nonnullos manu propria ludibrii causa trucidavit. [c] Inter causas abdicationis relatum fuit, quod propria & aliorum quos secum habebat manu Reverendos sacrorum antistites, sacerdotes & spirituales personas, alios item plures honestæ notæ homines contra juris normam neci dederit, aquis submerferit, igne cremaverit, miserabiliter ac truculenter peremerit; Præter cædes etiam quas perpetrabat insignia crudelitatis documenta edidit, dum assidue penes se carnificem haberet, quem comparrem appellabat, eoque tam familiariter uteretur, ut aliquando uno eodemque equo secum vehi illum passus sit. [d] Homo omnibus suis partibus & tota natura

[a] *L. 9. ff. de Obsequiis.* [b] *Cic. in Off.*  
 [c] *Cuspin. in vita Wencesl.* [d] *Dubrav.*  
*lib. 13. hist. Bohem.*

natura pessimus, totus in Reipublicæ perniciem atque excidium intentus.

Quid multis? Summum Principem etiam Tyrannum publicâ Ordinum vel Parliamentorum autoritate, latâque sententiâ, manuum carnificis morte affici in Orbe Christiano res mira atque inaudita est, res sine exemplo. Resurgent nostri multorum seculorum majores, hujusmodi tragediæ nullus audietur testis. Contigit quidem ut Ludovico Pio imperante Bernhardus Longobardiæ Rex Imperatoris ex fratre Pipino nepos primo quidem oculis prius in monasterium detruderetur, ac postea Procerum sententiâ capite truncaretur; Verum hujus rei multum diversa fuit ratio, neque enim Rex ille à suis subditis, sed ab Imperatore cujus Vassallus erat Parium sententiâ condemnatus supplicio mortis affectus est. [ a ]

Ad extremum nunc devenit. Vidimus quid licuisset Anglis in Regem suum, si Regios tramites non omnino observasset, si in multis à via deflexisset, si imperium suum iniquis quibusdam actibus miscuisset. Vidimus quid licuisset, si Tyrannus fuisset totâ naturâ perversus & incorrigibilis. Nondum vidimus quo jure licuerit Regium amputare caput: Sed nihilominus tamen amputatum est. Quæ isthæc injuria, quæ perversitas? Si ne quidem perniciosissimos tyrannos occidere fas est, ergone Rex pius & justus, integer vitæ scelerisque purus Princeps ignominiosâ morte afficiendus? Quodnam istud crimen? Quæ perfidia? Quæ falsitas? Quæ perduellio? Quod parricidium? Quæ divini humanique juris violatio?

Verum frustra est definire flagitia quorum finem nondum tetigimus. Nondum extincta est cruore sacro furibunda sitis, infonsis agni macetatione nondum saturati canes rabidi pergunt quo cœperunt pede ad ultimum flagitiorum terminum, ad unicam hanc metam cujus causa patratum fuit horrendum illud & execrabile parricidium, ut nimirum è servis, quod verè prædixit Divus Martyr, fiant Domini, ut imperent quibus parendum est: Eam autem non poterant contingere metam, nisi ut Regem suo capite, ita & Regnum suis truncarent legibus, decentissimam regiminis structuram optimis Legibus stabilitam, quæ per multa secula steterat incolumis, funditus everterent, Ecclesiam æquè ac Rempublicam destruerent Dei Patriæque hostes. Nam ut apud Anglos penes unum sit summum Imperium, utq; uni Stirpi insitum sit & irradicatum, hæc una lex est,

VI.

DEMONSTRATIO  
IMPIETATIS ET  
INJUSTITIÆ PROPTER  
REIPUBLICÆ  
EVERSIONEM.

F 2

hoc

[ a ] *Cusian, in Lud. Pio.*

hoc unum ac præcipuum Reipublicæ fulcrum, ut Baronum Curia æqualem habeat auctoritatem cum Curia inferiore iis in negotiis, in quibus à suprema Majestate in partem sollicitudinis vocantur Ordines: Deinde ut Deum in vera Religione cognoscant colantque subditi scētis & schismatibus ab Ecclesia extirpatis & prohibitis: Hæc inter reliqua fulcra haud minima, quibus Anglorum Rempubli- cam stabilire visum est rerum omnium publicarum Moderatori summo Deo, Quàm verò temerè, quàm perfidè, quàm injustè, quàm indignè, quàm impiè hæc fulcra, has columnas dejiciunt & confringunt.

1. *Quia Superior Domus abrogata.*

Perfidia sanè maxima est abrogare Baronum Curiam ad cujus conservationem pariter omne negotium susceptum antea fuit, quæ in omnibus demonstrationibus, declarationibus, protestationibus, fœderibus atque ligis reservata fuit. Quoties non juratum est in tutelam ac conservationem Privilegiorum Parliamenti? Imò annon hic unicus motuum intestinorum prætextus, hoc unicum Rebellionis tegmen. Temeritas etiam & injustitia summa est abrogari eam Curiam ab inferioris senaculi quorundam tantum Deputatorum manipulo, quam ne quidem Rex ipse ex plenitudine suæ potestatis justè abrogare potuit citra Legum fundamentalium subversionem, quibus de utriusque Curia auctoritate securitateque æqualiter cautum est. Quo igitur jure hoc fieri potuit à Curia ista inferiore, etiamsi omnibus suis membris fuisset integra? Quo jure Principum Imperialium Senatus Electorum auctoritatem in negotiis Comitibus tollit? Quo jure Senatuum illorum abrogabit? Vel quo titulo Civitatum Imperialium Legati Comites Imperiales, vel hi Prælatos à Comitibus expellent? Eodem scilicet jure quo in Anglia superior Senatus inferiorem Regno inutilem & noxium judicaret, eodem jure quo par in parè haberet imperium atque superioritatem.

2. *Ecclesia scētis fœdæta, vera Religio hæresis oppressa.*

Impietas porrò & temeritas maxima est militi præcipuè imputanda, immiscere se Religionis negotio ad se non pertinenti, Divini Cultus moderationem arripere quæ ad unicum pertinet Regem. Est enim ejus dispositio solius Majestatis propria, huic uni externi cultus institutio & conservatio incumbit, huic Ecclesiæ cura commissa est, additaque potestas quæ ad salutem ejus uteretur. (a) Unde Moysen sacra Scriptura fidelem in æde Dei ministrum appellat, (b) & Aaronis Deum (c) cujus mandato omnia ab Aarone gesta

(a) *Esai. 60. v. 14. 2. Paral. 29. Dent. 17.* (b) *Exod. 18. v. 16. 19. v. 22.* (c) *Exod. 4. v. 12. 15. v. 16.*

gesta sunt, [ a ] qui Aaronem una cum filiis ejus ad sacerdotale Ius sacro-  
munus elegit, sacras vestes præparavit, eosque inunxit. Ita & David rum & Re-  
Israelis Rex divinum ordinavit cultum. Josaphat Reipublicæ suæ ligionis ad  
munera non confundebat, verum sacerdotibus omnium sacrorum unicū per-  
curam demandabat, Sabadiæ verò atque Judicibus rerum Politica- tinere Re-  
rum administrationem injunxit. [ b ] Idem apud Romanos Genti- gem.  
les æquè ac Christianos obtinuit, nam ab innitio penes Reges fuit  
jus sacrorum; Postea ad summum Senatam una cum reliquis Maje-  
statis articulis translatum est, mutatâ denuò Republicâ, ut reliqua  
omnia, sic etiam quæ ad res divinas & Religionem pertinebant Im-  
peratores in se transtulerunt. Imò & modernis Imperatoribus, licet  
eorum potestas valdè sit limitata, jus sacrorum & Religionis cura  
integra ac illibata permansit, usque dum per pacem Religiosam Im-  
perii Ordinibus est communicata, vel potius in eos translata: Vnde  
Lutherus ipsique Principes Protestantes ante illam pacificationem  
sæpe numero & voce & literis confessi sunt Cæsareæ Majestati Ec-  
clesiæ emendationem, curam & tutelam incumbere: [ c ] Angliæ  
verò Regem hanc Majestatis partem abdicasse, vel saltem Parlia-  
mentis communicasse nondum liquet, adeò ut eorum consensus  
hoc in negotio ne minimum quidem desideretur, etiam si ex utroque  
statuum Ordine legitime sint congregata. Quamobrem adhuc de  
eo verum est, quod Henricus ejus nominis Octavus Angliæ Rex pro-  
jecto Papatu de se pronuntiavit, se nimirum in suo Regno Pontifi-  
cem maximum esse, atque caput suarum Ecclesiarum à Christo pro-  
ximum. [ d ] Vt merito in illum quadret, quod Imperatori Leoni  
aliquando suggestum est: Debes Imperator incunctanter advertere,  
Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè  
ad Ecclesiarum præsidium esse collatam. Quanta igitur hæc militi ac  
mutilati Parlamenti temeritas est, aliena potestate abuti, non dare  
Cæsari quæ sunt Cæsaris? Quanta verò impietas est, non dare Deo  
quæ Dei sunt? hoc est, Ecclesiam varia hæresi defœdare, impiam  
Brunistarum Independentium aliorumque schismaticorum sectam  
inducere, ad quævis scelera & flagitia aditum aperire, Epicureis,  
Hæreticis, Blasphemis, Atheis fræna relaxare, impietatis incensivum  
præbere, veram Religionem opprimere, Religionem illam in  
quam toties jurarunt, de cujus conservatione toties protestati sunt,  
cujus de causa quidvis malorum perpeti destinaverant, Religionem ad  
illam, cujus specioso tegmine incautam multitudinem hæctenus ad  
partes

F 3

[ a ] Exod. 16. v. 33. [ b ] 2. Chron. c. 19. [ c ] Sleidan.  
lib. 1. 2. & passim. [ d ] Idem lib. 9. Anno 1534.

partes suas seduxerunt. Certè detracta nunc est pietatis larva, quæ non pauci ante hac decepti rem totam pro aris & focus, pro Deo & patria susceptam fuisse crediderunt: Experientia veritatis meridies apertè nunc testatur, pro vera Religione quæritas esse mille hæreses, pro vero Dei cultu impiam & effrenem licentiam, pro salute publica, publicam perniciem, rerum omnium everfionem.

3. *Quia* Reliquum adhuc est, quod nisi rei indignatio dicendi ordinem  
*Regia Stirpis* invertisset, prius notandum erat, nimirum quàm perfidè, quàm  
*à Legitima* injustè Regiam Stirpem ab imperio excludant, eique Dei ac natu-  
*Regnorum* ræ legibus competentia jura eripiant. Ad eò enim hac injuria mo-  
*hereditate* vetur animus noster, ut eam libentius tacito axe prætervehere  
*excluditur.* mus, nisi summa cognoscendæ veritatis necessitas silentium in-  
 terdiceret. Piget hîc repetere, ne crambem bis coactam appone-  
 re videamur, quàm nulla sit mutilati Parliamenti in re vel mini-  
 ma decernendi autoritas. Videamus saltem si nullus in eo de-  
 fectus esset, si omnibus suis membris integrum, si ex utraque cu-  
 ria legitimè esset combinatum, quantum eo casu jure licuisset.

*Protestatio-* Manifestæ sunt Regni leges ac variæ protestationes, declarationes  
*nes de Re-* & jurata cœdera, quibus non minùs de Regiæ Stirpis, quàm de  
*gia Stirpis* ipsius Regis incolumitate cautum est. Eduardi II, Statuto non mi-  
*conserva-* nus perduellionis crimen est primogeniti Principis, quàm Regis  
*tionè.* tentare vel saltem cogitare necem. [a] Atque ipsi Parliamentorum  
 Proceres quoties de Regis, toties ferè de Regiæ Stirpis autori-  
 tate ac dignitate conservanda protestantur, seseque mutuo jure-  
 jurando mutuisque cœderibus utrique adstringunt sanctissimè, hac  
 additâ causâ, quoniam publica Regni salus & commune bonum uni-  
 cè huic innixa sunt Stirpi. [b] Imò famosa illa trium Regnorum  
 liga ad salutem & gloriam Regis atque Hæredum præcipuè fabri-  
 cata fuit.

*Anglorum* Verùm hæc minima sunt, dum perpendimus apud Britannos su-  
*Reges Iure* premax Majestatis jura huic Stirpi ad eò esse consecrata, ad eò in-  
*sanguinis* sita & irradicata, ut planè sint extra commercium ac dispositio-  
*imperare.* nem populi: Nam, quod & antè diximus, quoad originem sum-  
 ma potestas indistinctè hic & ubique à solo Deo est, quoad verò  
 consequendi modum in hisce Regnis à sola natura dependet, ad eò  
 ut Anglorum Reges illam potestatem non nisi Deo ac naturæ acce-  
 ptam ferre debeant, eam quippe à multis seculis usitato more per  
 hæredi-

[a] *Stamford, in placit. Coron. l. i. c. 1. & 2.* [b] *William Pryme in Membr. art. 3. & 4.*

hæreditariam successiõnem consequuntur. Certè antiquissimum illud successiõnis jus est, atque tam validum, ut etiam non extante prole masculâ, ad fœminas devolvatur imperium, ut apparuit jam olim ex Bunduicæ Britannorum Reginae expeditione in Romanos, ejusque mascula oratione ad suos milites, quam prolixè descripsit Djon in vita Neronis. Sic & Domitiani Imperatoris tempore Regnum illud ad fœminas pervenisse testis est Tacitus. [ a ] Ita & Maria Eduardi V. Anglorum Regis soror fratris imperium excepit, decimo ferè post anno, quàm Maria Jacobi V. Scotorum Regis filia Regni gubernacula suscepisset. [ b ] Et novissimè Maria ac Elifabetha sorores Henrici VIII. filia scepra tenuerunt.

Quod licet tam manifestæ sit veritatis, ut hætenus non fuerit inventus tam absurdus Euricles qui contradixerit vel saltem de eo dubitaverit, attamen Præsens noster inter cætera mendacia non erubuit & hoc proferre: Jam inde à Guilielmo Normanno Regni Conquæstore è viginti quatuor Regibus partem dimidiam ab Ordinibus obtinuisse fasces: Vnde conatus est Regum eligendorum potestatem populo asserere, multum eò facere existimans jurandum à Rege inaugurationis suæ tempore Ordinibus præstitum: Et in sententia abdicationis Regiam authoritatem à Parlamento derivatam esse affirmant.

*Objeçtio  
Præsidis.*

Illustre documentum ignorantia; vel potiùs malitiosæ perversitatis testimonium: Quæ tam stupida & barda gens est, cui Principes citra aliquam initiationem live inaugurationis quasdam solemnitates imperent, etiamsi haudquaquam populi suffragiis sed vi solius hæreditariæ successiõnis imperium obtineant? Nulla Christiani Orbis Regna hodiè monstrari possunt quorum Reges sine solemnibus juramentis inungantur: Naturali scilicet ratione qua jus gentium constat. [ c ] In Imperio Romano tam Orientali quàm Occidentali, prius quam ante aliquot secula extinctâ prorsus Imperatoria Stirpe ad liberam electionem recideret, consimiles æquè solemnitates observatæ sunt, quæ in Rege suffragiis electo observari solent: Imò istæ solemnitates tunc temporis aliquando vitiosâ loquendi cõsuetudine electionis appellatione usitatæ sunt. Ita Carolus Magnus à populo electum dixit, què ipse sua authoritate testamento hæredem instituerat. Quemadmodum etiam Henricus IV. à patre Rex constitutus fuisse dicitur, sed Romani Pontificis, cunctorumq. Pontificû & Princi-

*Responsio.*

[ a ] In Agricola. [ b ] Bodin. lib. 6. cap. 5.  
[ c ] Reinck. de Reg. lib. 1. cl. 3. cap. 9.

Principum Regni electione. [a] Postquam Henricus II. insignia Imperialia quasi Jure hæreditario sibi competentia extorsisset Heriberto Archiepiscopo Coloniensi, in ipsius inauguratione mox à maxima multitudine vox una respondit, Henricum Christi adjutorio & jure hæreditario regnaturum. [b] Quid multa? Galliæ Reges quos non eligi sed nasci citra controversiam est, & toto Orbe notissimum, quibus illi non inaugurantur solemnitatibus? Priùs quam Rex sacris innitatus ad Jusjurandum adigitur, duo Pontifices Laodunensis & Belluacensis eum utroque latere circumfessum paululum è folio sedentem erigunt, & conversi ad populum rogant, num Regem initiatum regnare velint: nulla mora, quin Regalis circumstantium comitatus præbeat assensum. Imo Philippus Rex Francorum, in formula initationis, quam ex archivis in Bibliotheca Rhemenfi descripsit Bodinus, expressè dicitur electus ab Archiepiscopo: Accipiens Archiepiscopus baculum S. Rhemigii, disseruit quietè & pacificè, quomodo ad eum maximè pertineret electio Regis & consecratio, ex quo S. Rhemigius Ludovicum baptizavit & consecravit: Tunc annuente Patre ejus Henrico, elegit eum in Regem; Post milites & populi tam majores quàm minores uno ore consentientes laudaverunt, ter proclamantes: Laudamus, volumus, fiat. [c] Sic & Hispaniarum Reges, quando inaugurantur, ante omnia se suis juramento obstringunt: Hi ergo suffragiis Ordinum electi Imperium obtinent, vel potestatem suam populo acceptam ferre debent? Nihil æquè absurdum & manifesto juri contrarium est. Nascitur suus Rex Gallis, nascitur & Hispanis, ergò nascitur & Anglis non obstante jurejurando quo promittit se Leges Patrias minimè violaturum. Neque enim consecratio electionem arguit, neque consueti inaugurationis ritus Regiæ potestatis essentiam ingrediuntur.

*Sucessionis vis Reges immortales facit.* Ea autem successionis vis est, ut, qui illius lege imperant Reges immortales sint, non quidem in individuo, namque pallida mors æquo pede pulsat pauperum tabernas Regumque turreis, sed in suo genere sive in stirpe, eodem quippe momento, quo Rex moritur imperium Regiæque potestas ad proximum successorem transit, adè ut populus ipso jure Regem habeat, quamdiu adhuc aliquis in ea stirpe viret Ramus, cui à natura scepra debentur: Vnde illud apud Gallos ab Avorum extrema memoria contritum proverbium: Rex Franciæ non moritur: In quofvis quadrat Principes qui jure sanguinis

[a] *Abbas Vrsperg. in Chron. ann. 1053.* [b] *Dithmar. Epif. Mersburg. Chron. lib. 5.* [c] *Bodin. d. loco.*

sanguinis imperant, veluti in Hispaniâ, Angliâ, Scotiâ aliosque Reges, qui statim atque moriuntur, nisi Stirps tota simul concidat, certum habent successorem à natura designatum.

Tam profundas in Stirpe Regia radices egit Majestas, ut nullâ vi humanâ ab ea avelli possit, quin eo ipso naturæ vis fiat. Successio enim à natura est non minus quàm ipsum imperium ex distamine naturæ originem habet, ut præter alios eleganter ab Aristotele demonstratum est. (a) In domibus, inquit, privatim primùm dominabatur pater postea ex liberis & natis natorum propagabantur gentes, oriebantur pagi, in quibus de consuetudine domestica pristinam erga nepotes suos reverentiam & auctoritatem obtinebat <sup>6b</sup> presbyteros seu grandævus pater, donec tandem imperium Paternum in Regium mutatum fuit. Sic Noë, Abraham, Isaac & Jacob suis quisque familiis imperarunt à quibus non erant electi sed à natura agnati: Postquam verò Ismaelis filii Principes familiæ facti dicuntur, (b) ut & reliqui Reguli quorum fit mentio in Historia Creationis, (c) certum est, eos non per electionem familiæ sed per successione naturæ magnas familias insensili transmutatione vertisse in parva Regna. Qui ergò illud successione jus turbare conabatur, ipsam naturam oppugnabit, rationi vim faciet, naturæ hostis erit.

Successio est à natura.

Exinde est illud prudentium dogma, Quod, si inveteratam successionem excutere velint superbi subditi, & ad illicitam eligendi libertatem aspirare in præjudicium legitimi hæredis, procul dubio etiam inviti sub jugum obedientiæ possint repelli: quod nec injustè Princeps dominaretur iis, quos ita subjecit. (d)

Subditi successionē turbantes justè absoluto Dominio subjiciuntur.

Exinde est, quod illi qui jure sanguinis imperant, quamvis mente capti sint, ac rationis usum planè amiserint, nihilominus imperium non amittant, sed Curatores recipiant, quorum prudentia defectus mentis supplendus est. Hoc modo Archelao Cappadociæ Regi mente capto tutor adjectus est ab Augusto. (e) Lusitaniæ Nobilitas & Clerus Sanctio II. Regi de consilio Innocentii IV. summi Pontificis Curatorem dederunt. (f) In Gallia, cum Carolus VI. ejus nominis Rex mente non constaret, Principum sanguinis sollicitudini concredita est Regni administratio. (g) In Scotia Ethodio II. per omnes Provincias substituti sunt tutorii præfecti, cum ipse mentis impotentia viam sibi non saperet, nedum ut aliis semitam præire potuisset. (h) Et quamvis Ufias Judæorum Rex ejusdem vel

Mente capti hæreditariam potestatem retinent.

G

etiam

(a) I. Pol. c. 1. (b) Gen. c. 24. (c) Gen. 14. 34. 36. (d) Arnif. vel. pol. lib. 2. c. 2. sect. 6. (e) Dion. lib. 57. (f) C. 2. de suppl. negl. prel. tit. 6. (g) Frossard. lib. ult. (h) Buchanan. lib. 4.

etiam deterioris esset conditionis propter lepram quam temeritate suâ promeritus erat, namque in medio populi versari non potuit, post aulam recedere, gubernatione abstinere, ac privatim habitare coactus fuit, à Regno tamen non excluditur, quamdiu in vivis est, sed succedanea Johami filii opera usus morte demum suâ eidem filio legitimo successori viam ad capeffenda scepra aperuit. (a)

*Succes-  
sio  
Majesta-  
tem conce-  
dit citra  
Sexus vel  
ætatís re-  
spectum.*

Imò tanta successio-  
nis vis est, ut nulla sexus vel ætatís habitâ ratione etiam ad sceminas, ad infantes, imò ad fœtum adhuc in utero materno hærentem pertineat. Apud Persas venter gravidus Regiâ tiarâ cinctus est. (b) Tam firmiter infita est Regiæ Stirpi summa potestas, tam longè abest à subditorum commercio, ut ad alias familias per sceminarum connubia etiam invitis subditis transferantur. In Sicilia spatio quingentorum annorum sexies mutata sunt familia, cum à Normannis per conjugium Constantiæ transfret ad Suevos, Suevos exciperent Andegavenses, hos ejicerent Arragones, quoniam Petrus Rex Arragoniæ Constantiam Manfredi Regis filiam in matrimonium duxerat, ab Arragonibus processum est ad Virtutum Comitem cui Maria Friderici Simplicis filia desponsa erat, nisi post varia de ejus nuptiis certamina Barcinonem ad Martinum traducta fuisset. Paulò post tamen cum Martinus sine legitimis hæredibus decessisset, ad Ferdinandum ex Castellana familia ratione Martris Leonoræ res delapsa est, & à Castellanis ad Austriacos. Regnum Navarra ab Anno millesimo septuagesimo sexto, quo lanceâ trajectus Garcias Sanctii Magni filius interiit, decem diversas familias jure connubiorum Dominas habuit. Regnum Castellæ quatuor, Legionis quinque vicibus Dominorum ac familiarum mutationem pertulit. Regnum Arragoniæ ab Ennici Stirpe primò translatum est ad Berengarium Comitem Barcinonensem per Petronellam Raymundi Monachi filiam. Deinde per Eleonoram Petri IV. Ceremoniosæ filiam ad Johannem II. Castellæ ac Legionis Regem, postremò per Johannam Ferdinandi Catholici filiam ad Austriacos. De Angliæ & Scotia quid tandem restat? Angli ab Anno trigesimo sexto amplius quàm millesimo & centesimo in trium familiarum exterarum potestatem venerunt. Nam extinctis Guilielmi I. filii sine masculis hæredibus, & Guilielmo Roberti filio à Patruo Henrico I. profligato, Adela sororis filius Stephanus Comes Campaniæ & Blesensis, Regnum obtinuit, à quo illud longo bello repetebat Mathildis Henrici I. filia, atque in Plantagenetarum Andium Ducum familiam transtulit, in qua mansit usque ad Elisabetham nunquam satis laudam

*Per succes-  
sionem etiam  
invito po-  
pulo Regna  
ad alias  
familias  
transfe-  
runtur.*

(a) 2.Chron.27.v.21. 2.Reg.c.15. (b) *Author des  
Estats & Empires du monde.*

tam Principem. Scoti primo Baleolos habuere Dominos, deinde Brusios, denique Stuartos, quibus adhuc obsequium debent, ad quos etiam post Elisabethæ Reginæ obitum Angliæ sceptrum translata sunt per connubium quo Margaritha Henrici VII. filia natu major, Elisabethæ amita Jacobo IV. nupta fuit, ex qua genitus est Jacobus V. Pater Mariæ Stuardæ, avus Jacobi ejus nominis Sexti Scotorum & Primi Anglorum Regis, Abavus Caroli nostri Beatissimi Martyris.

Ad eò denique proprium est imperium Regiæ Stirpi, ad eò alienum à populo, ut vel testamento, adoptione alioque modo transferri possit: Attalus Pergami Rex ditissimus testamento hæredem scripsit Populum Romanum. [a] Nicomedes Bithyniæ Rex nullo jure impeditus fuit, quò minus eundem Populum Romanum hæredem institueret, unde Regnum ejus infalutatis subditis, in Provinciæ formam redactum est. [b] Apud Africanos Reges testamento adoptare frequentissimum fuit. [c] Sic & in Angliæ Henricus VIII. Eduardo VI. filio legitimo hæredi Mariam sororem ejus substituit, huic verò Elisabetham. [d] Atque ipsi Angliæ Ordines antehac luculenter testati sunt eam esse Regum suorum independentiam, hanc iis competere imperii proprietatem, eorum Stirpi jus Regium ita esse irradicatum ut avelli non possit. Nam cum aliquando Elisabetha Regina Londini Ordinum conventus haberet, [e] nulla de re prius deliberandum sibi proposuerunt, quam Regina successorem designasset. [f]

Regna hæreditaria testamento & adoptione transferuntur.

Hæc ad eò indubitata sunt veritatis, tam explorati juris, ut qua contrarium suadeat nulla sit ratio, nullum exemplum. Quamvis enim aliquando eousque processerit quorundam populorum audacia ut tumultuaria aliqua caterva violenter in suos Principes insurgeret, eisque legitimam potestatem eriperet, vix tamen, imò ne vix quidem in Orbe nostro Christiano illud sacrilegium contigisse videmus, ut eam & Stirpi adimeret sibi arrogaret. Cum Amazias Judæorum Rex in Urbem Lachis profugus ab Hierosolymitanorum seditiosa multitudo interfectus esset, attamen ad illud audacia & temeritatis non provehitur, ut ulla ratione Azaria defuncti Regis filio obsisteret, quo minus legitimæ successione jure debita obtineret Sceptra. [g] Sueci Henricum Regem suum captivum quidem detinuerunt, quo jure vel injuria hic non est

G 2

dispu-

[a] *Iustin. lib. 36.* [b] *Eutrop. lib. 6.* [c] *Leo Afern.* [d] *Bodin. lib. 2. cap. 3.* [e] *Mens. Octob. Anno 1565.* [f] *Bod. lib. 6. cap. 5.* [g] 2. Reg. 14. 19.

disputandi locus, ejus tamen frater citra impedimentum Regale solum occupavit. Et cum Maria Scotorum Regina ad instantiam Ordinum diadema sponte sua resignaret, in ipsorum haud cecidit manus, verum ad Jacobum filium legitimum Hæredem naturæ beneficio translatus est. Consimile apud Anglos observatum post Eduardi II. renunciationem, dum filius ejus à successione non impeditur. [a] Tum scilicet ignota adhuc fuit illa Independentium Politica, in statu Monarchico licere populo, quinimò fœci ac sentinæ populi leges figere & refigere, pro libidine sua Rempublicam formare & reformare, legitimam potestatem à Stirpe Regia contra naturam avellere, & aliena jura rapere.

Imò in Regnis electivis, ubi, postquam Rex esse desit, in manibus populi est summa rerum, ejusque suffragiis ad alium transfertur, ea plerumque Regiæ Stirpis reverentia atque æstimatio esse solet, ut aliis in electione præferatur. Cum Dani Christiernum Regem ob immanissimam tyrannidem carcere conclusissent, translatus est Regnum ad sapientissimum & justissimum Regem illius avunculum. Tradunt enim Politicæ Prudentiæ Doctores, multum facere ad salutem publicam, ut eligentes ad certam Stirpem arbitrium suum limitent, quemadmodum in Imperio Romano jam inde à tempore Rudolphi I. factum videmus: Daniæ Sceptra ad hunc usque diem in Stirpe Oldenburgica permanserunt. Poloni quoque non temerè discedunt à Stirpe. Sed quorsum hæc? è præcedentibus abundè satis elucescit in Regno Angliæ summam imperandi potestatem extra populi commercium esse, Regiæ Stirpi à Deo & natura irradicatam esse atque consecratam, imperium nulla vi humana ab ea Stirpe separari posse, subditis illis bonos quidem Principes voto expetendos esse (semper illis successit Rex ex voto) qualescunque autem Deus & natura dederit, nedum Optimos tolerandos esse, adè nihil ipsis esse juris in Regia Sceptra.

*Epilogus.*

Habemus omnia, vidimus quàm temerè & injustè miles in Regem pariter & Parlamenta involaverit, quàm temeritate aliquot mutilati Parlamenti Procures id susceperint negotii, quod ne quidem universis legitime ac liberè congregatis suscipiendum fuit, quàm perfidiâ, quo perjurio rabidi militis libidini inservierint præter fas & æquum, contra quàm plurimas protestationes, promissiones ac jurata fœdera Regem suum judicandum tradiderint scelerato, perfido ac illegitimo hominum cœtui. Vidimus quàm falsò tyrannidis accusatus sit Princeps Optimus, quàm iniquè judicatus sit, quàm impiè damnatus sit qui in his terris haud ulli humano judicio obnoxius fuit,

[a] *William Pryn. de Memem. art. 10.*

fuit. Vidimus quâ temeritate, quâ impietate, quâ injustitiâ, quo scelere Respublica evertatur, leges violentur, divina humana misceantur, quàm impiè vera Religio varia hæresi opprimatur, quàm temerè potissima Ordinum pars suo jure privetur, quàm ineptè, quàm injustè legitimus successor à Regni hæreditate excludatur: Ita nihilominùs factum est: Magnæ Britannix, Franciæ & Hiberniæ Rex summus Monarcha, cui tot Regna, tot populi subditi sunt, ipse subditus nemini præterquam immortalis Deo, suorum quorundam subditorum violentis manibus subditur: Cujus sunt carceres, O rem indignam! Ipse carceribus mancipatur: Omnium Judex, nullum ipse in terris habens Judicem, à suis judicatur quorum est Judex: Capite damnatur cujus caput sacrosanctum & inviolabile est: Internecatur ab illis, in quos ipse vitæ necisque potestatem habet; Pius & Religiosus Princeps ab impia & sacrilega caterva, justus & pacificus, ab injusta, scelerata & inquieta turba judicatur, damnatur, occiditur: Legitimo denique hæredi à Deo & natura datum diadema non datur, divino humanoque jure debita successio pro indebita habetur.

Quæ isthæc impietas est? quæ iniquitas? quæ perfidia? quod istud perjurium est? O Legum temeratores turpissimos! O perfidos! O perjuros! O fœderum violatores maledictos! O Dei ac naturæ hostes! Dispereant; Dii ipsis malè faciant hominibus nequissimis omnium qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt, hominibus istis inhumanis, qui hominem ex homine exuerunt. Bone Deus! Juste malorum vindex, in cujus sanctissimo vultu toties jurarunt, toties protestati sunt, quem toties testem suæ fidei & prohibitatis invocarunt perfidi, annue nostris votis, sis vindex gloriæ tuæ bone Deus!

*Facti exsecratio.*

Vos autem Imperator, Reges, Principes lugete mœsti, lugete hunc Carolum Regem, hortamur suspiria & luctus, Magnus in Israele cecidit Princeps, cecidit quemadmodum coram nebulonibus quis cadere solet. Effusi sanguinis clamor & gemitus Cœlum atque terram personat: Hancine istius justis necem inultam esse permittetis? Infontem istum cruorem à parricidarum manibus non exigetis? Non removebitis è terra horrenda illa naturæ monstra? Non vindicabitis atrocissimas has injurias? [a] Impietas hæc maxima esset, summum dedecus, divinam in vos provocaretis iram, magnam apud posteros existimationis vestræ faceretis jacturam, indelebilem nomini vestro aspergeretis labem. Neque enim

*Abhorratio ad vindictam.*

*A pio & honesto.*

G 3

foli inclytæ Regis familiæ, non solis agnatis, non affnibus, sed & uniuerso Orbi Christiano facta hæc est injuria, in totius humani generis contumeliam patratum est illud scelus. Deus ipse, qui perindia gravissimus est ultor, per quem Reges regnant, & Principes dominantur, vindictam à vobis desiderat, vindictam vobis imperat, nam & ei hæc contingit contumelia, quippe cujus Vicarium & Legatum violarunt, [a] quem sanctum & inuolabilem esse voluit: Vindictam quoque flagitat dilectio proximi, iustitia Zelus: Commiserationem afflictorum exigit Christiana charitas: Auxilium postulat sanguinis & affnitas necessitudo, sancta fœdera, mutæque societates.

*A necessa-  
rio,*

Quidquid est uestrarum facultatum & virium, hoc omne desiderat publica necessitas, necessitas sanè publica tantam audaciam, tantum scelus, publicam omnium ignominiam vindicare iubet omnes, bonum publicum non fert eam injuriam, injuriam istam intolerabilem, quæ si toleretur, O he! quousque non incurret in contemptum uestra conditio? Quæ posthac Majestatis erit reuerentia? imò quæ securitas? Certè detestandi hujus parricidii atque sacrilegii impunitas apud alios delinquendi incensivum erit, [b] apud alios in similem licentiam abibit, horum indulgentia in prolapsionis contagionem provocabit universos. Nam si tumultuantium militum, atque aliorum quorundam scelestorum manipulo liberum est in Regem Monarcham Principem suum atque Dominum Legitimum violentas injicere manus, ordineque judiciario ac iustitiæ prætextu crimina intentare, judicare, damnare, sacrum caput amputate, nulum me Hercule, in terris imperium erit, vel Principatus, in quo similis aliqua Nebulonum cohors horum impunitate allecta facillimè non coëat ad eadem molimina: Eadem in uestra capita provocabitis pericula, O Reges, Principes! Quod hastenus inauditum, nunquam visum, nunquam factum est, sæptis posthac audietur, videbitur, fiet, si per negligentiam uestram eum amittatis clypeum in quo maxima uestra securitas est, maximum præsidium, nimirum ut subditi uestri persuasum habeant, sanctos vos & inuolabiles esse, O vos miseros ac omni temporis momento violabiles! Certissima Latronibus præda eritis. Modò nunc videmur nobis conspiciere inter politicæ prudentiæ Doctores, qui ex novo hoc maledicti parricidii atque sacrilegii exemplo, nisi contrario exemplo tempestivè occurratur, novas juris regulas texere laborant, quibus imperito vulgo simul & posteritati nostræ persuasum erit: Subditis in suos Principes atque Magistratus vitæ & necis jus esse, Reges licitè mactari, leges im-

pune

[a] Sap. 6. v. 5. P. f. 82. v. 6. [b] C. est. in star. 2. 3. q. 4.

punè violari, Ecclesiam & Rempubicam plebis arbitrio subjectam esse, summamque imperandi potestatem in ejus esse marsupio, ut eam dare, auferre ac pro lubitu usurpare possit. Ea vobis imminet conditio ex impunitate nefandì illius sceleris.

Adefte ergo vestra benevolentia, favete justissimæ causæ, ferte opem afflictis, afferte ultrices manus. Non est hic vindicandus aliquis sceleris, cujus causâ olim universæ Græciæ Reges Populique in expeditionem Trojanam confluerant, longè aliam hinc agi causam scimus, ergò vos etiam longè majore conatu in novam hanc sacrilegorum ac parricidarum Trojam expeditionem suscipite. Præstò sint copiarum vestrarum quibus antehac inter vos invicem digladiati estis, adhibete nunc eas justissimo huic negotio: Stringite nunc enses quo vestrum non pauci antehac propria læserunt viscera, stringite in hos Dei ac naturæ hostes: Tollite malum è medio Christiani populi, removete è terra horrenda illa flagitiorum monstra, conculcate pedibus vestris eas humanæ societati noxias nartices, venenatas illas vipersas: Adefte auxiliari manu novo Regi paternarum virtutum pariter & regnorum legitimo hæredi, terra marique succurrite, exiguus hic labor erit atque facillimus: Qui jam Tyranniscorum illorum jugo opprimuntur, ut hiscere vix audeant Regis fidelissimi clientes atque subditi, mox ut viderint externam opem, ne dubitate, quin magnanimitatis ac fortitudinis egregium daturi sint specimem, magno impetu in campum descendent, magnâque alacritate improvisum hostem à tergo adorientur, disturbabunt, fugabunt, trucidabunt. Vos quibus maris imperium est Potentissimi Galliæ, Hispaniæ, Daniæ ac Sueciæ Reges, tuque beatissima Batavorum Respublica, impeditæ saltem maris usum, clausi sint undique portus, interdicta sint ubique commercia, nullum commeatum, nihil eorum quæ bellicus deposcit apparatus subministrare, idque ab aliis ne fiat prohibete, & sic veluti caveæ inclusos lupos fame necabitis. Adefte benevoli, Imperator, Reges Principes, favete, succurrite, cedit hoc in æternam vestri nominis gloriam, in certissimam Christianæ Reipublicæ salutem, gratissimâ hac operâ ad perpetuæ gratitudinis munera adstringetis Serenissimam Regis Familiam, cui benè sit in æternum.

*A facili.*

FINIS.

